THEOLOGIÆ ETHICO-THOMISTICÆ EPITOMA


Ex Opere Magno

P. PHILIPPI MARIÆ GROSSI

Ordinis Prædicatorum

Ad commodiorem Confessariorum usum per Casus concinnata.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS, M. DCC.

Typis Dominici Lovisæ.

Superiorum Permissu, & Privilegio.

TRACTATVS NONVS

De Legibus.

Continet q. D Tho. in p. 2. à q. 90. vſque ad q. 108. incluſiuè.

QVÆSTIO I.

De legibus in communi.

Correſpondet q. 90. D. Tho. in p. 2. & quaeſt. 92.

ARTICVLVS I.

De eſſentia, & quidditate legum.

Definitio legis.

DEfinitur: quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet promulgata. D. Tho. p. 2. q. 90. art. 4. ad lit.

Semper ordinatur ad bonum commune. D. Tho. p. 2. q. 90. art. 2. ad lit.

 Com-

Quinā possint leges cōdere. Communitas solum, vel Princeps rappresentans ipsam potest condere legem. D. Tho. p.2. q.90. art.3. ad lit.

Promulgatio non est de essentia legis; sed solum conditio necessariò requisita ad hoc, vt obliget. pag.3.4.

D.Tho. p.2. q.90. art.4. ad lit.

ARTICVLVS II.

De diuisione legum.

Diuisio legis. PRimò, diuiditur in diuinam, & humanam.

Eiusdem subdiuisiones. Diuina diuiditur in æternam, naturalem, & positiuam.

Lex diuina positiua diuiditur in veterem, & nouam.

Lex humana diuiditur in Ecclesiasticam, & Ciuilem; prima dicitur ius Canonicum: Secunda Ius Ciuile.

Ius Canonicum diuiditur in Decretum, & Decretales; quibus additur sextum Decretalium; cui denique apponuntur Clementinæ, Extrauagantes, & Extrauagantes communes.

Ius Ciuile constat ex Codice, qui habet 12. lib. Digesto, seu Pandecto, qui constat 50. lib. Institutionum 4. libris, & vnico lib. Nouellarum.

De his ad iuris peritos &c. pag.4.5.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

De legibus in particulari.

Correspondet q. 93. & 94. D. Th. in p. 2.

ARTICVLVS I.

In quo aliqua de lege æterna dicuntur.

DEfinitur, quod sit ratio diuinæ sapientiæ existens in Deo ab æterno. Secundum quod est directiua omnium actuum, & motionum singularum creaturarum in ordine ad bonum commune totius vniuersi. p. 5. *Definitio legis ęternę.*

D. Tho. p. 2. q. 93. art. 1. ad lit.

Ab ipsa omnes aliæ leges deriuantur. D. Tho. p. 2. q. 93. art. 3. ad lit. *Est origo aliarum legum.*

Solum respectu creaturarum rationalium obtinet veram rationem legis. pag. 5.

D. Tho. p. 2. q. 93. art. p.

ARTICVLVS II.

De lege naturali.

Definitio legis naturalis.

DEfinitur: dictamen quoddam rationis naturalis, ab auctore naturæ nobis inditum, non solum ostensiuum boni, & mali; sed et am præceptiuum primi, & prohibitiuum secundi. D.Th. p. 2. quæst. 24. art. 1. ad lit.

Continet plura præcepta secundum ordinem inclinationum naturalium. D. Tho. p. 2. q. 44. art. 2. ad lit.

Principia vniuersalissima, quæ ad hanc spectant.

Ad eam spectant quædam vniuersalissima principia, & sunt: bonum est agendum, malum est vitandum; Quod tibi non vis alteri nè feceris: Nullum bonum irremuneratum, nullum malum impunitum. De quibus videatur D. Tho. in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 4.

Non datur ignorantia inuincibilis eorundem.

Debet admitti ignorantia inuincibilis præceptorũ legis naturæ; quæ tamẽ nõ sunt supradicta prima principia, nec ab ipsis facilè deducibilia, sed eorum, quæ per difficilem discursum deducuntur: vt sunt præcepta prohibentia aliquos contractus vsurarios, & simoniacos, qui de facili non percipiuntur.

Ca-


Casus.

Tiberius vir timoratus numquam accedit ad confessarium quin tradat illi vnum Iulium, non ob eleemosinam, sed ob receptionem sacramenti, & fundatur in illo primo principio, quod omne opus bonum est præmio dignum. Confessarius autem hanc intentionem Tiberij ignorans, recipit hoc titulo eleemosinæ.

Casus De viro timorato tradente Confessario vnũ Iulium v g. ob receptionem sacramẽti, & hoc ex inuincibili ignorãtia. Confessario pariter recipiente, & ignorante titulo eleemosinæ.

Quæritur an peccent.

Resp. neutrum peccare: Tiberius enim excusatur ab ignorantia inuincibili (supponitur enim, quod talis ignorantia in eo sit) Confessarius autem malam non habet intentionem, vndè &c. pag. 5. 6.



QVÆSTIO III.

De praeceptis Decalogi in communi.

Correspondet q. 99. & 100. D. Th. in p. 2.

Definitio Decalogi. DEcalogus definitur, quod sit summa quædam, in qua exprimuntur omnia, quæ à viro Catholico sunt facienda. D. Tho. in princip. op. 4. ad lit.

Eiusdem præcepta. Quæ continentur in Decalogo sunt decem præcepta; & sunt. Primum de cultu veri Dei. 2. de non iurando falsum. 3. de festorum sanctificatione. 4. de honore in parentes. 5. de non occidendo. 6. de non fornicando. 7. de non furando. 8. de non ferendo falso testimonio. 9. de non concupiscenda re aliena. 10. de non concupiscenda muliere aliena.

Tria prima pertinent ad Deum; cætera ad proximum. Concil. Coloniense in Enchirid. Christianæ institutionis in princip.

Circà hæc dantur aliquæ regulæ generales.

Possunt impleri etiam ab eo, qui est in pec- Prima, vniuersa ista decem præcepta possunt impleri ab eo, qui est in peccato mortali quoad substantiam actus,

actus, & præcepti; & quantum ad effectum euitandi nouum peccatum. D. Th. p. 2. q. 100. art. 10. & 2. 2. q. 44. art. 1. & Concil. Trident. Sess. 6. cap. 7.

cato mortali.

Secunda, hæc decem præcepta secundum se sunt indispensabilia. Dixi secundum se, quia aliquando videtur admittenda horum præceptorum dispensatio, seu pia interpretatio, vt quod ministri Iustitiæ malefactores occidant &c. D. Tho. p. 2. q. 100. art. 8.

Ex se sunt indispensabilia.

Tertia, quidquid est contrà vnum ex his præceptis regulariter est peccatum mortale. Dixi regulariter; quia aliquandò potest esse veniale: Et primò ex deffectu deliberationis; vt in motibus primo primis. Secundò ex deffectu iudicij sufficientis; vt in ebrijs, furiosis, &c. Tertiò ex paruitate rei D. Tho. p. 2. q. 88. art. 5. & 6. & 2. 2. q. 3. art. 5.

Regulariter istorũ transgressio est mortalis; aliàs verò etiam venialis.

In his præceptis alia sunt affirmatiua, alia negatiua; quorum hæc est differentia: quod prima obligant semper, non tamen ad semper. Secunda verò obligant semper, & ad semper. Præter hæc Præcepta alia tria sunt præponenda. Primum præceptum Charitatis. Secundum Præceptum fidei. Et tertium Præceptum Spei. De quibus videatur prima propositio damnata ab Alexand. VII. Hæc non continentur in Decalogo,

Hac Præcepta alia affirmatiua, alia negatiua.

Eorum differentia.

Alia tria Præcepta.

ſed ſupponuntur ad illud. D. Tho. p. 2. q. 100. art. 4. & 2. 2. q. 44. art. 4. & q. 79. a. 2. pag. 7. & 8.

De primò ſit



QVÆSTIO IV.

De Præcepto dilectionis Dei.

Continet q. 23. 24. 25. 26. 27. & 44. 2. 2. D. Tho.

ARTICVLVS I.

In quo breuiter exponitur Charitatis Natura.

Definitio dilectionis Dei.

DEfinitur amicitia hominis ad Deum. D. Tho. 2. 2. q. 23. a. p. ad lit.

Eſt habitus infuſus.

Eſt habitus infuſus. D. Tho. 2. 2. q. 23. art. 2. ad lit. & q. 24. a. 2. 3.

Capax ſemper intendi.

Augetur in nobis, dum ſumus in via, per maiorem intenſionem. D. Tho. 2. 2. q. 24. art. 4.

Poteſt ſemper in viatoribus creſcere. D. Tho. 2. 2. q. 24. art. 7. ad lit.

Poteſt tamen dari iuſtus, qui habeat cha-

charitatem perfectam proportionatam statui viæ. D. Tho. 2. 2. q. 24. art. 8. ad lit. pag. 7. 8.

Dabilis est charitas perfecta pro portionata ad hunc statum.

Videatur D. Tho. 2. 2. q. 23. & sequentibus.

ARTICVLVS II.

De quidditate huius Præcepti.

PRæceptum Charitatis, & præceptum dilectionis Dei non sunt omnino idem: Caiet. in opusculis tom. 1. tract. 4. q. 1.

Charitas cadit sub præcepto, vt complementum, & finis præcepti. D. Tho. 2. 2. q. 44. art. 1. ad lit.

Et est tam à lege naturæ, quam à lege positiua. D. Tho. ibid.

Potest adimpleri quantum ad substantiam actus sine spetiali gratia. D. Tho. 2. sent. dist. 28. quæst. 1. art. 3. ad lit.

Non tamen prout est proficua ad salutem: ad hoc enim spetialis gratia requiritur. D. Tho. p. 2. q. 100. art. 10. ad lit.

Dum sumus in hac vita non semper tenemur actualiter hoc præceptum adimplere; sufficit enim, vt solum virtualiter nostram intentionem &c. in

omni opere nostro ad Deum referamus. D. Tho. 2. 2. q. 44. art. 6. ad lit.

Aliquandò tamen etiam nos obligat hoc præceptum ad diligendum Deum actualiter. pag. 9. 10.

Ad quod videndum sit

ARTCVLVS III.

De tempore, quo tenemur elicere actum dilectionis Dei.

Tenemur aliquandò sub mortali Deum diligere.

HOc præceptum, vtpotè affirmatiuum non obligat semper, & ad semper.

Obligat tamen aliquandò sub peccato mortali.

D. Tho. 2. 2. q. 44. art. 6. & 3. sent. dist. 27. q. 7. art. 4. ad lit.

Non est à Deo præfinitum tempus; de quo videantur prop. dam. ab Innoc. XI. n. 5. 6. & 7.

Quis tenetur implere hoc præceptum in primo instanti, quo peruenit ad vsum rationis. D. Tho. p. 2. q. 89. art. 6. in corp. & ad 3. ad lit. p. 11.

Casus, in quibus tenemur elicere actum dilectionis Dei.

Secundò, quoties tenemur ad habendam contritionem de peccato mortali. D. Tho. p. 2. quæst. 109. art. 9. in corp. ad lit.

Tertiò, quoties tenemur proximum ex Charitate diligere; & hoc ex ordine

ne Charitatis. D.Tho.2.2.q.25.art.1. & q.44.art.2.ad lit.

Quartò, quandò audimus Deum blaſphemari, aut inhonorari. Sotus lib. 2. de Iuſt. & Iur. q. 3. art. 10. Ex Conc Lateran. Seſs.9. §. ad abſoluendum. pag.11.

Quintò, quandò vrget vehemens tentatio de odio Dei. Ex Bonacin.

Ex quibus deducitur quando quis contra hoc præceptum peccet mortaliter.

Caſus in quibus quis dicitur tranſgredi hoc præceptum.

Primò, non adimplendo illud, quandò ad hoc tenetur, vt ſupra &c.

Secundò, quandò odit Deum deliberatè; quod eſt maximum omnium peccatorum. D.Tho.2.2 q.34.art.2. & q.39.art.2.ad lit.

Tertiò, quando amat Deum minùs quam oportet, vel æquè comparatiuè ad alia. D.Tho.2.2.q.26.art.2.& 3. ad lit.

Videatur Concil. Trident. Seſs. 6. can.26.

Caſus I.

Caſus De eo, qui ſtatuit in creatura ſuum vltimum finem nil de Deo recogitans.

Sempronius peccat mortaliter conſtituens ſuum vltimum finem in creatura, abſque eo, quod recogitet de Deo.

Quæritur an vltrà peccatum, quod facit, adhuc contrà hoc præceptum peccet?

Reſp.

Resp. negatiuè : eo quia indirectè magis diligere creaturam, quam Deum, non est contrà hoc præceptum: & hoc facit peccans mortaliter.

D. Tho. 2. 2. q. 34. art. 2.

II.

Casus De eo, qui scrupulis angitur, quia non est certus de tali actu à se elicito.

Barnabas cum non sit certus, se ellicuisse actum dilectionis Dei super omnia in primo instanti vsus rationis (sicut nemo de hoc potest esse certus) angitur scrupulo, & de hoc vehementer cruciatur.

Quæritur quid facere debeat?

Resp. quod debet de hoc conteri, & confiteri sicut de alijs incertis; quia incertitudo ista est communis toti generi humano, propter quod: Nemo scit, vtrum odio, vel amore dignus sit. Caiet. p. 2. q. 89. art. 6. in fin. Com.

Et posteà elicere præfatum actum, vt sic omnia dubia auferat. pag. 11.



AR-

ARTICVLVS IV.

De hoc præcepto prò vt se extendit ad dilectionem proximi.

DAtur præceptum de dilectione proximi. Matth. 22. D. Tho. 2. 2. q. 44. art. 7. ad lit.

Christus dilectionem proximi præcepit.

Solum materialiter, hoc est ratione obiecti, diuersificatur à Præcepto dilectionis Dei. D. Tho. 2. 2. q. 44. art. 2. ad lit.

Præceptum hoc obiectiuè solum differt à præcepto dilectionis Dei.

Vndè solum debemus diligere proximum propter Deum, præcipuè eius bonum spirituale procurando. D. Tho. 2. 2. q. 44. art. 7. ad lit.

Videantur prop. dam. ab Innoc. XI. num. 10. & 11. pag. 12.

Ordo Charitatis est, vt priùs diligamus Deum super omnia: D. Tho. 2. 2. q. 44. art. 2. 3.

Qualis sit ordo charitatis.

Secundò, debemus plùs nos diligere, quam proximum; ità tamen, quod priùs diligimus bonum spirituale nostrum, quam proximum absolutè; deindè bonum spirituale proximi, quam corporale nostrum; & denique bonum corporale nostrum, quam corporale proximi. D. Tho. 2. 2. quæst. 44. art. 4. 5. ad lit.

Tertiò, debemus diligere proximos

hoc ordine, vt plùs diligamus bonos, quam malos; Plùs consanguineos, quam cæteros. Et in consanguineis plùs patrem, quam matrem; plùs matrem, quam vxorem; plùs vxorem quam filios; & denique plùs filios, quam reliquos. D. Tho. 2. 2. q.44. art.6. vsque ad 11.

Hoc autem intelligendum de dilectione, quæ est ex debito; non autem de illa, quæ est ex supererrogatione. Caiet.2.2. q.44. art.8.

Casus.

Casus De Parocho non potente nisi cum vitę discrimine subuenire existenti in probabili valdè periculo spiritualis salutis.

Ioannes Parochus scit raptam esse puellam de domo parentum pauperum; & in domo diuitis detineri, vt stupretur; Et quod ipsa non solum renuat, sed vlteriùs quærit auxilium, vt aufugiat, & saluetur. Dubitat verò, quod si diutiùs morabitur, assentietur in peccato; Ille verò non potest ipsam adiuuare, nisi cum periculo vitæ.

Quæritur an adhuc teneatur?

Resp. affirmatiuè; quia Parochi tenentur etiam cum periculo vitæ succurrere gregi sibi commisso, & adiuuare eos, qui necessaria egent ad salutem, quantumuis non extrema, sed solum grauis necessitas vrgeat. Secùs tamen loquendum est de alio; qui extrà extremam necessitatem non tene-

tur

tur succurrere ex debito; & si hoc faciat erit bonum supererrogationis: iuxtà illud Christi: *Maiorem charitatem &c.*

ARTICVLVS IV.

De Schismate.

DEfinitur, quod sit rebellis, & spontanea separatio ab vnitate Ecclesiæ. *Definitio schismatis.*

Duplex: vnum, quod dicitur purum schisma; quandò quis credens vnitatem Ecclesiæ, & eius verum caput, tamen non vult se subdere illi. *Eius diuisio.*

Alterum; quandò quis non credit vnitatem Ecclesiæ, nec verum eius caput, vndè nec vult illi se subdere: & hoc semper habet adiunctam hæresim.

Videatur D. Tho. 2. 2. quæst. 39. per totam.

Casus.

Cæsar habens bellum iustum aduersùs consanguineos Pontificis occupat illis multa bona, quæ illi ex hæreditate aduenerunt, nec potest alio modo, quam per vim occupare. Pontifex iubet illi, etiam sub pœna exconmuni- *Casus De occupāte per vim in bello iusto, cùm aliter non possit*

catio.

bona cõsanguineis Papæ, sibi de iure aduenientia, non obstãte eiusdem Papæ iussione de desistendo etiam sub pœna excõmunicationis.

cationis, vt à bello desistat, & bona reddat; quo obedire renuente

Quæritur an schismaticus dici debeat?

Resp. negatiuè: licet grauiter peccet non obediendo: schisma enim solum consistit in rebellione à Papa ad eius officium prout est caput Ecclesiæ.

Cætera vide in opere p.14



QVÆSTIO V.

De Præceptis Fidei, ac Spei.

Continet q. D. Tho. à prima vsque ad 22. in 2. 2.

Definitio Fidei.

Fides definitur, quod sit substantia sperandarum rerum argumento non apparentium.

AR-

ARTICVLVS I.

De quidditate Præcepti Fidei.

DE fide necessariò debet dari præceptũ. Christus Dominus Matth. vltimò. Apost. ad Heb. 11. ad Roman. 10. & ad Gal. 3. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 7. & ex prop. dam. ab Innoc. XI. num. 16. *Est præceptũ Christi de Fide.*

Licet de hoc non detur præceptum in lege veteri: ex D. Tho. 2. 2. q. 16. art. 1. tamen fides semper fuit necessaria in omni statu ad salutem. Concil. Trid. Sess. 6. can. 7.

ARTICVLVS II.

Quinam actus nobis per hoc præceptum iniungantur.

DVplex actus internus, & externus. Internus duplex implicitus, & explicitus. *Eiusdẽ duplex Actus.*

Ad implendum hoc præceptum non sufficit actus internus implicitus; sed in omni statu semper actus fidei explicitus *Actus fidei internus explicitus sẽper fuit necessarius.*

citus fuit necessarius. D.Tho.2.2. q.2. art.5. ad l.t. p.15.

ARTICVLVS III.

De his, quæ explicitè credi debent.

Necessitas quotuplex.

De necessitate præcepti Articuli Fidei credi debent explicitè.

Necessitas duplex: Necessitas medii, & necessitas præcepti.

Loquendo de necessitate præcepti, non sufficit in lege gratiæ credere, quod credit S. M. Ecclesia. Sed explicitè credi debent articuli fidei, implicitè verò, quod continetur in Sac. Script. Ex prop. dam. iussu Greg. XI. à Nicolao Emerico Inquisitore Aragon. vt ex direct. Inquisitorum 2. p. q. 10. Et ex D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 5. ad lit.

Sufficit illos scire quantum ad substantiam.

Sufficit scire eos quantum ad substantiam, ità vt interrogati saltem sciant respondere. In tit. de ætat. & ord. præfic. & ex Grat. dist. 23. & 30. pag. 16.

De necessitate medii.

Quid debuerit credi in statu legis naturæ.

Loquendo verò de necessitate medij etiam in statu legis naturæ.

Primò necessaria fuit fides explicita vnius Dei auctoris supernaturalis, & remuneratoris. Apost. ad Heb. 11. & ex prop. dam. ab Innoc. XI. n. 22.

Quid ante aduentum Christi.

Secundò, antè Christi aduentum supposita explicita fide de Deo remuneratore sufficiebat ad salutem fides impli-

implicita in Christum mediatorem, seu redemptorem. D.Tho.2.2.quæst.2. art.7. ad lit.

Et hoc, quod dicitur de Incarnatione debet etiam dici de Trinitate; cum vnum non possit credi sinè altero. Immò D. Tho.2.2. q.2. art.8. addit, quod fides explicita de Trinitate fuit etiam necessaria respectu maiorum veteris testamenti.

Quid post aduentum Christi.

Tertiò, post Christi aduentum, & Euangelij promulgationem fides explicita Trinitatis, & Incarnationis est ad iustificationem, & Salutem necessaria. Videantur op. dam. ab Innoc. XI.n.64. 65. & D.Tho.2.2. q.2. art.8. pag.17.

Casus

Casus De Rudi ignorante mysteria fidei ex carentia Doctoris.

Rusticus nutritus in Siluis non habita copia Doctoris, aut Prædicatoris ignorat Mysteria fidei.

Quæritur an possit saluari.

Resp. ex D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3. quod si ductum rationis sequatur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est, quod ei Deus, vel per inspirationem reuelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum diriget, sicut misit Petrum ad Cornelium. Hæc D. Tho. p.17.

Videantur prop. dam. ab Innoc. XI. n.17.19.20.21.23.

AR-

ARTICVLVS IV.

De actu fidei externo.

Duplex præceptum de actu fidei externo.

DVplex præceptũ de actu fidei externo, vnum affirmatiuum, & alterum negatiuum: Exprimuntur à Christo Matth. 10.

Affirmatiuum non obligat semper & ad sẽper.

Quantum ad primum non obligat semper, & ad semper, sed solum pro tempore, & loco. D. Tho. 2. 2. q. 3. art. 2. ad lit.

Benè verò negatiuum.

Secundum verò obligat semper, & ad semper. Ex prop. dam. ab Innoc. XI. n. 18.

Numquam licet dissimulare fidẽ.

Numquam tamen licet veram dissimulare, aut falsam simulare religionem. D. Tho. 2. 2. quæst. 111. art. 1. ad lit.

Casus.

Casus De Mercatoribus existentibus in regione Gẽtiliũ actus eorum Religionis fingẽtes, absque interno consensu, vt faciliùs suas merces expediant.

Petrus, & Antonius mercatores commorantes in regionibus infidelium non solum vtuntur vestibus eorum putà Turbante, aut Cybari; sed vlterius ad Templa eorum accedentes adorant, & faciunt quidquid faciunt gentiles, vt faciliùs occultatione fidei, & Religionis Catholicæ possint suas merces expedire; interiùs tamen semper fidem corde retinent, immò quoties ad

Ido-

Idolorum fana accedunt corde profitentur, se nihil illis credere, nec fidem illis præstare.

Quæritur an peccent?

Resp. ipsos mortifere peccare. Licet enim possint vestes portare, quæ ad vsum humanum sunt institutæ cum de primariò non deputentur ad protestandam Fidem, & Religionem. Non tamen secundum illis facere licet neque ad euitandum mortis periculum, cum per se primò sit institutum ad protestandam falsam religionem. pag. 18.

ARTICVLVS V.

De vitijs Fidei aduersantibus.

TRia vitia præcipuè fidei aduersantur; Hæresis, Apostasia, & Infidelitas.

Vitia, quæ aduersantur Fidei.

Hæresis definitur, error pertinax hominis Christiani fidei Catholicæ ex parte contrarius. D. Tho. 2. 2. q. 11. art. 2.

Definitio hæresis.

Casus.

Casus De habente dubium voluntariũ & pertinax de rebus Fidei.

Titius habet dubium voluntarium; & pertinax de rebus fidei, ità quod nec credat, nec discredat, sed suspensus maneat; quia veritates fidei certas non putat; nec vult de ipsis certificari.

Quæritur an sit hæreticus?

Resp. affirmatiuè ex Card. Toleto in sum. cap. 4. secùs tamen si dubium non esset pertinax; & eò minùs si non esset voluntarium.

Ad quos spectat hæreticos absoluere.

Ad solum Pontificem, Episcopum, scilicet, Ordinarium, & Inquisitores spectat hæreticos ab excommunicatione absoluere. De quo videantur prop. dam. ab Alex. VII. n. 3. & 4. Sicuti circà denuntiationem hæret. prop. 5.

Videatur D. Tho. 2. 2. q. 11. per totam. p. 19.

Definitio Apostasiæ.

Apostasia definitur error hominis baptizati fidei catholicæ ex toto contrarius. D. Tho. 2. 2. q. 12. art. 1.

Eius diuisio

Est triplex interna, externa, & de vtraque participans; & hæc verè facit Apostatas.

Ad quod pertineat dubium circa totã fidẽ Catbolicã

Dubium voluntarium contrà totam fidem Catholicam ad Apostasiam pertinet. pag. 20.

Definitio infidelitatis.

Infidelitas est error hominis non baptizati fidei Catholicæ in toto, vel-

vel in parte contrarius. D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 1.

In duobus casibus peccatum est, Primò cum infidelis habet sufficientem notitiam Christianæ fidei, & adhuc in errorem persistit.

Casus duo, in quibus Infidelitas est peccatum

Secundò, cum naturali ratione scire potest aliquod à fide traditum, licet hoc non audiuit: vndè peccat non colendo vnum Deum, qui naturali lumine agnosci potest; vel violando præcepta iuris naturæ &c. pag. 20.

Videatur de his prop. dam. ab Innoc. XI. num. 4. & D. Tho. 2. 2. q. 10. per totam.

ARTICVLVS Vltimus.

De Præcepto Spei.

Quandò cæpit obligare præceptum Spei.

POst primam legislationem datur præceptum Spei; dum Sacræ Scripturæ variè homines inducunt ad sperandum non solum per modum admonitionis, sed etiam præcepti: ut Psal. 4. ver. 6. & Psal. 61. v. 9. &c.

Casus duo, in quibus obligat hoc præceptum quatenùs affirmatiuum.

Quatenùs affirmatiuum obligat præcipuè in duobus casibus:

Primò cum grauiores, & molestiores desperationis motus animum cruciant.

Secundò, quando tenemur dolere de peccatis, & Deum super omnia diligere.

Quatenùs negatiuum semper obligat.

Quatenùs negatiuum, semper nos obligat ad non desperandum.

Videatur D. Tho. 2. 2. quæst. 22. art. 1.

Duo vitia opposita Spei

Duo sunt vitia opposita: desperatio, & præsumptio.

Definitio desperationis.

Prima definitur, quidam voluntatis recessus à beatitudine futura.

Videatur D. Tho. 2. 2. quæst. 20. per totam.

Definitio præsũptionis.

Secunda, inclinat voluntatem in beatitudinem, sed non eo modo, quo speranda est.

Presumptio duplex.

Duplex: vna, qua quis vult beatitudinem tamquam debitam suis naturalibus meritis, sinè gratia diuina, & suis viribus obtinendam.

Altera; qua homo vult beatitudinem sola Diuina misericordia obtinendam sinè vlla cooperatione.

Videatur D. Tho. 2. 2. quæst. 21. per totam.

Ca-

Casus.


Marcus habet reuelationem à Deo de ſua damnatione.

Casus De eo, cui Deus reuelat ſuam damnationẽ

Quæritur an adhuc teneatur ſperare?

Reſp. negatiuè; quia bonum, quod debemus ſperare debet prudenter apprehendi, vt futurum. Caſus tamen eſt Metaphiſicus ex D. Tho. q. 23. de verit. art. 8. ad 2.

Atque hæc de hoc tractatu.




TRACTATVS DECIMVS.

De Primo Pracepto Decalogi.

Continet q. D.Tho. 83. 84. 88. 89. 90. & 122. *in* 2. 2.

Primum Præceptum Decalogi.

PRæceptum est: *Ego sum Dominus Deus tuus; non habebis Deos alienos coram me; non facies tibi sculptile; non adorabis ea, neque coles.* Exod. 2.



QVÆSTIO I.

De quidditate huius Præcepti.

Correspondet q. 122. *D.Tho.in* 2.2.

Præcepta Decalogi à Iustitia proveniunt.

OMnia præcepta Decalogi ab vnica virtute Iustitiæ tanquam à prima radice proueniunt. D. Tho. 2.2.q.122. art.1. ad lit.

AR-

ARTICVLVS I.

Vtrum hoc Præceptum convenienter sit per negationem expositum?

Resp. SIc. Ex D.Tho. 2. 2. q. 122. art.2. ad lit. eò magis, quod ad negationem sequitur affirmatio: argum. à contrario sensu, l.1. ff. de off. eius, cui mandatum est ius: & c. cum Ap. de his, quæ fiunt à Prælat. sinè cons. cap.

Primũ præceptum licet negatiuè expositum tamen cõtinet affirmationem.

ARTICVLVS II.

De hæreticis sacras immagines adorare prohibentibus.

HÆreses contrà Sanctissimas Imagines damnantur in Conc. Trid. Sess.23. in Dec.de inuocatione Sanctor. Et à D.Tho. 3. p. q.25. art.6. ad lit. Videatur opus pag.22.23.

Hæreses cõtrà adorationẽ Imaginum.

ARTICVLVS III.

Quomodò in hoc præcepto nobis Sacrarum imaginum cultus non prohibeatur.

Imagines sunt adorandæ. *Qua adoratione.* *De Imagine Trinitatis, & Christi.* *De Imagine B. Virginis.* *De Imagine Crucis.* *Qua adoratione adoretur Sacram. Eucharistię.* *Quomodò adorentur instrumenta Passionis* *Quomodò Imagines Sanctorum.* *Non idolatrat qui ima*

IMagines, quatenùs in illis Deus, & Sancti rapprehesentantur optimè possunt adorari, ea adoratione, qua coluntur res per ipsas rappreheesentatę: vndè si est imago Dei, Trinitatis, & Christi, adorantur adoratione latriæ: Si sit B. Virginis, adoratur adoratione hyperduliæ: Crux Christi, si consideretur, vt rappræsentat Christum sic adoratur adoratione latriæ; quod etiam dicendum de alijs Crucibus siuè sculptis, siuè pictis; & etiam de venerabili Eucharistiæ Sacramento ex Conc. Trid. Sess. 13. cap. 5. alia instrumenta passionis si considerentur, vt res quædam sunt ad passionem Christi spectantes, & per eius contactum sanctificatæ sic venerantur adoratione hyperduliæ. Et denique cum omnes sancti sola Dulia colantur, ità etiam eorum reliquiæ, & imagines.

Videatur D. Tho. 2. 2. q. 84. art. 3. & 3. p. q. 25. art. 2.

Ex quo patet, quomodò nos non ido-

idolatramus propter cultum, quem tradimus Sanctis, ac eorum Reliquijs, & Imaginibus, cum diuersimodè eos colamus, ac Deum. pag. 23. 24.

gines adorat.



QVÆSTIO II.

De his, quæ iniunguntur nobis in hoc præcepto, & præcipuè de Oratione.

Correspondet q. 83. D. Th. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

De necessitate Orationis.

ORatio in communi definitur; desiderij coram Deo explicatio, vt aliquid ab eo impetremus.

Definitio Orationis.

Quatuor eius partes: & enumerantur ab Apost. 1. ad Timoth. 2. Oratio, postulatio, obsecratio, gratiarum actio.

Eius partes

Oratio est eleuatio mentis in Deum.

Singulę explicantur.

Postulatio est petitio, qua Deo no-

ſtrum deſiderium exprimimus.

Obſecratio eſt propoſitio Sanctitatis Chriſti &c. & meritorum eius, per quæ petimus exaudiri.

Gratiarum actio eſt modus impetrandi ex parte noſtri.

D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 17. ad lit. Et in op. tom. 1. tract. 2. q. 6. art. 3.

Neceſſitas Orationis ad impetrādum.

Oratio ſemper fuit neceſſaria non vt diuinam diſpoſitiouem mutemus, ſed vt id impetremus, quod Deus diſpoſuit per orationes fidelium eſſe implendum. pag. 25.

D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 2. ad lit.

ARTICVLVS II.

Cui dirigi debeat Oratio.

Oratio propriè ad Deū dirigitur Deprecatio ad Sanctos.

ORatio ad Deum verè, & propriè dirigitur, vt per ſe ipſum impleat, quod orando petimus.

Ea verò, quæ ad Sanctos dirigitur dicitur deprecatio; vt ſuis meritis, ac præcibus tamquam noſtri aduocati ad hoc apud Deum inſiſtant. D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 4. ad lit. pag. 26.

ARTICVLVS III.

De quo debeat esse oratio.

EA, quæ sunt necessaria ad salutem absolutè peti debent. D. Tho. 2.2. q.83. art.5. ad lit. *Salus æterna absolutè petenda.*

Bona temporalia solum sunt sub conditione petenda; tamquam adminicula pro consecutione salutis, & ad sufficientiam vitæ, & non aliter. D.Tho. 2.2. q.83. art.6. ad lit. *Bona temporalia sub conditione petenda.*

Casus I.

Casus De eo, qui solùm absolutè pro tẽporaliũ prosperitate Deum orat.

Sempronius mercaturæ deditus, suę salutis oblitus, solum absolutè quærit à Deo prosperitatem in suis negotiationibus, vt abundet, & semper maiora acquirat.

Quæritur an peccet?

Resp. affirmatiuè, & grauiter, quia ordinem orationis præuertit, nec petit à Deo temporalia, quomodò sunt petenda.

II.

Casus De Parocho exorante Deum, vt infirmitate suum subditum corrigat.

Pompeus Parochus habens in sua Parochia hominem perditum, videns quod post multas correctiones peior efficitur, rogat Deum vt illi magnam infirmitatem mittat, vt sic alijs nocere desistat.

Quæritur an sic orando peccet?

Resp. negatiuè; dummodò in hoc solum peccatoris correctionem intendat: si autem hoc potiùs faceret ex odio, tunc vtique peccaret. p. 27.

ARTICVLVS Vltimus.

In quo alia resoluuntur adorationem spectantia.

Orandum est pro omnibus etiam inimicis, maximè verò pro Defunctis.

NOn solum pro nobis, sed etiam pro alijs orare debemus, quamtumuis sint inimici. D. Tho. 2.2. q. 83. art. 7. & 8. ad lit.

Maximè tamen nobis in sacris canonibus iniungitur, vt prò defunctis oremus. 13. q. 11. c. animæ, & c. Tempus.

Ca-

Casus.

Caius audiens in Ecclesia expositam esse sacram Synaxim, vt fideles orent pro salute corporali Curtij inimici sui non vult adire Ecclesiam, immò orat Deum, vt eum è medio tollat.

Casus De eo, qui pro inimico nō vult orare, immò Deum exorat, vt illū tollat è medio.

Quæritur an peccet?

Resp. affirmatiuè: facit enim contrà præceptum Christi: *Orate pro persequentibus vos:* licet enim non teneamur orare pro inimicis, nisi solum in generali ex D. Tho. 2.2. q.83. art.8. tamen vrgente necessitate præcipuè spiritualis salutis ad hoc tenemur. Et eo maximè, quia in hoc Caius odium contrà Curtium manifestat. n.8. p.28.

Ex quo habetur, quod præceptum orandi vrget in periculo, quo aliquis putat posse, vel se ipsum, vel proximum iuuare: ex D. Antonin. 4. p. tom.5. cap. 8. & Petro de Palude; vndè qui tunc ommitteret peccaret ex Armil. verb. oratio n. 3.

Maximè in periculis, vel proximi vel nostrum orare tenemur.

Aliud tempus determinatum ad orandum non habemus, nisi ex impositione Ecclesiæ: putà auditionis sacri diebus festis: de Consecr. d. 1. c. missas, & extra: de Paroch. c. vt diebus. Et ad recitandas horas Canonicas omni die quantum ad beneficiatos, & ordinatos in sacris. Extra: de celeb. mis. c. dolent. Sed de his infrà. pag.28.

Aliis temporibus orādum est iuxtà præscriptum Ecclesiæ.

Beneficiati, & ad ordines sacros promoti tenentur quotidiè recitare horas canonicas.

QVÆSTIO III.

De natura, & quidditate Voti.

Correſpondet q. 88. D. Tho. 2. 2.

ARTICVLVS I.

In quo proponitur definitio Voti, & prima eius particula explicatur.

Definitio Voti.

DEfinitur Votum, quod ſit deliberata, & ſpontanea promiſſio facta Deo de meliori bono. D. Tho. 2.2. q.88. art.1. & 2. ad lit.

Non conſiſtit in ſimplici propoſito.

Abſolutè loquendo ſolum propoſitum non poteſt conſtituere Votum. D. Tho. 2.2. q.88. art. 1. ad lit. p. 28.

Quantum verò ad particularia ſit

Caſus

Casus I.

Siluius habens firmum propositum remanendi in Religione, & perpetuò Deo seruiendi, ipsius Religionis habitum suscipit.

Casus De suscipiēte habitum Religionis cum firmo proposito remanendi in illa.

Quæritur an tale eius propositum equipolleat Voto?

Resp. affirmatiuè, ex c. consuluisti extra: de Regularib. & ex Panor. in c. liter. & Caiet. 2. 2. quæst. 88. art. 1. dub. 4. &c. eo quia propositum in tali casu facit votum. Ex Pet. de Palud. & Franc. Card. de Zabarellis.

Quod si quæratur qualitas huius Voti?

Resp. quod in hoc duplex est sententia; vna quod sit votum solemne. Henriquez. Boich. Archidiac. Io: Ant. de Butrio &c.

Firmum propositum remanendi in Religione æquipollet voto simplici.

Altera, quod solum sit votum simplex. Petrus de Palude &c.

Et hæc meo videri est tenenda: cum sit solum votum ex statuto Ecclesiæ. Ità D. Antonin. in sum. 2. p. tit. 11. cap. 2.

II.

Casus
De eo, qui coram hominibus simulatè vouet.

Tiberius simulatè vouet coram hominibus se facturum aliquid in veritate tamen corde non vouet.

Quæritur an hoc votum teneat.

Resp. negatiuè; eo quia promissio in corde debet esse ex corde. Ecclesia tamen, quæ iudicat de exteriori, poterit eum compellere, etiamsi confiteatur, se corde non vouisse; quia dolus non debet ab Ecclesia patrocinari. Peccabit ergò sic fingendo, & ab Ecclesia potest cogi ad implendum votum. Armil. verb. vot. n.3.

III.

Casus
De eo, qui verè vouet, sed non intendit seruare promissum.

Franciscus faciens votum de aliquo faciendo; intendit quidem vouere, sed non seruare promissum.

Quæritur an sit verum votum?

Resp. affirmatiuè: vndè non solum peccat, qui sic fingit in voto, sed etiam, qui tale votum non adimplet. pag.29.

Caiet.2.2. q.88. art.1. dub.4. &c.

AR-

ARTICVLVS II.

In quo explicantur aliæ duæ particulæ, nempè deliberata, & spontanea.

LIbera debet esse voluntas vouentis ad hoc vt votum teneat, & obliget. Comm. omnes DD. Et hoc verum est vniuersaliter loquendo.

Aliæ particulæ desitionis voti explicantur.

Quantum ad casus particulares sit

Casus I.

Casus De eo, qui inconsideratè, & passione obcæcatus vouet.

Thomas concupiscentia, & passione obcæcatus in motu primo vouet aliquid.

Quæritur an votum teneat, & obliget?

Resp. negatiuè: quia quod excusat à peccato, excusat etiam ab obligatione voti. Ità com. om. D.D.

11.

Casus De vouente propter metum graue sibi incussum.

Terentius minis perterritus à Parentibus vouet ingressum Religionis, cognoscens huiusmodi minas sibi factas ad hoc, vt cedat hæreditati, & Religionem ingrediatur.

Quæritur an votum teneat?

Resp. negatiuè: vndè & eximitur ab omni obligatione implendi illud. Ità com. om. DD. Et hoc votum est irritum ex natura sua.

Casus De vouente ob metum sibi incussum eum causa.

Sed quid si parentes Terentij dicant Principi ipsum esse inquietum, & familiam perturbare; vndè Princeps cominetur ei Carcerem perpetuum si non ingrediatur Religionem: quod audiens Terentius verè votum facit de ingredienda Religione ex timore Carceris?

Resp. adhuc votum non tenere; quia siuè iustè metus incutiatur, siuè iniustè semper irritat votum. Sanchez de matrim. lib. 4. d. 13. n. 1. 2.

Nec prodest, quod voluntariè voveat; si quidem ad votum non solum requiritur voluntas, sed etiam libertas.

Casus De vouente propter metum leuem.

Quid insuper si metus sit leuis, putà acris admonitio, & cominatio facta à Principe, animo nihil faciendi, sed solum ad incutiendam timorem Terentio?

Resp.

Resp. cum distinctione; nam si sit talis, quæ possit verum metum facere in Terentio; & sit facta à Principe, seu à parentibus animo extorquendi votum; adhuc votum non tenet; cum verè eius voluntas possit dici coacta: vndè Cardinales Cong. declararunt nullam professionem cuiusdam fœminæ ob solum metum reuerentialem factam, vt refert Rodriquez, & alij citat. à Sanchez vbi suprà.

Casus De eo, qui vouet ex metu leui non tamen incusso intentione extorquendi votũ

Si autem talis non sit, quæ possit inducere metum, nec hoc intendat Princeps, & parentes: Tunc si Terentius vouet, votum tenet; cum solum immginarius sit metus, & hoc non intendatur; vndè si vouet liberè vouet, & ideò &c. Nauar. cum alijs citat. à Bonacin. de legib. dist. 4. q. 2. punct. 3. §. 1. num. 3.

III.

Casus De vouente etiam cum iuramento ex metu graui.

Theresia minis à parentibus perterrefacta non solum vouet se ducturam in maritum Antonium, sed etiam iuramento votum confirmat, vt sic parentes securiores reddat.

Quæritur an teneatur votum adimplere?

Resp. negatiuè: quia cum votum sit irritum, irritum quoque erit iuramentum: iuramentum enim sequitur naturam principalis super quem cadit: l. fin. C. de num. pecun.

AR

ARTICVLVS III.

An grauis infirmitas irritet votum, & præcipuè Religionis.

Vouens in graui infirmitate etiã Religionem ingredi, dũmodò sui sit compos, tenetur votũ implere.

Resp. NOn: dummodò tamen non sit factum in tali morbi æstu, vt obcæcet intellectum, ità quod infirmus non sit compos sui. Armil. verb. vot. n.6.

ARTICVLVS IV.

An vota facta per ignorantiam, dolum, & errorem teneant?

Vota emissa per ignorantiam, aut dolum, vel errorem circa essentialia rei promissæ, nulla sunt.

Resp. NOn: si versentur positiuè circà substantiam rei promissæ, vel circà eius conditiones, & proprietates essentiales: quod etiam dicendum est, si versetur circà causam finalem. Sotus lib. 7. de Iust. & Iur. q. 1. art. 2. &c. pag. 32.

Casus

Casus I.

Cneius vouet ingredi Religionem S. Io. Euangelistæ, putans adesse in Ecclesia, eo quod legerit in eius hystoria ipsum multos discipulos congregasse in charitate. Posteà facta diligenti perquisitione ipsam non inuenit.

Casus De vouente ex errore ingredi Religionem alioquin in Ecclesia non existentem.

Quæritur an teneatur aliam intrare?

Resp. negatiuè; quia error est circà substantiam rei promissæ, &c.

II.

Sempronius infirmus putans Hierosolymam solum à sua Ciuitate distare 100. miliaria vouet, si sanus fiat Hierosolymam adire ad inuisenda sancta Domini loca. Sanus effectus inuenit esse summoperè distantem, ità quod quasi impossibilis ei reddatur accessus?

Casus De vouente adire locum sanctũ, quẽ inuenit summoperè esse distantem supra id quod putabat.

Quæritur an adhuc teneatur votum adimplere?

Resp. negatiuè; eò quia ignorantia versatur circà conditionem essentialem.

III.

Casus De vouente peregrinari nudis pedibus ad loca sancta, sed qui ex detecta nimia distantia, eadem adire non potest.

Curtius vouet peregrinationem ad loca sancta nudis pedibus faciendam eo quia putat Hierosolymam non multum distare. Sed distantiâ eius detecta, cum non possit votum adimplere quoad principale.

Quæritur an debeat illud implere quoad accessorium?

Resp. negatiuè: quia accessorium sequitur naturam principalis; ità quod vno destructo, destruatur & aliud, c. cum principal. de reg. iur. in 6.

Vota emissa per errorem circà leues conditiones per se loquendo non sunt irrita.

Si error &c. versetur circà accidentia extrinseca, & conditiones leuioris momenti, non excedentes notabiliter vouentis existimationem per se loquendo non irritant, neque annullant votum simpliciter. Sotus &c.

Casus.

Casus De vouente sub cõditione, quæ licèt nõ possit impleri in totũ, tamẽ in maiorem partẽ impletur.

Pomponius existens Venetijs vouet adire domum Lauretanam, putans Nauigio posse ad ipsam peruenire: sed detecto, quod hoc non potest exequi.

Quæritur an adhuc teneatur votum adimplere?

Resp. affirmatiuè: eo quod potest Anconæ appullere, & indè domum Lauretanam; quæ parum distat adire;

vndè

vndè error est circà conditionem parvi momenti.

Si error &c. sit circà causam finalem voti formaliter mouentem in ordine ad illud, tunc irritat votum. Ità Sotus &c.

Error circa causam finalem moventem ad vouendum, irritat votum.

Casus I.

Casus De vouentibus pro fine iam cessato, quando votum fecerũt ipsis tamen nescientibus

Petrus, & Antonia audientes Lucium filium suum in oriente infirmum, vouent peregrinationem ad domum Lauretanam ad eius salutem impetrandam. Posteà audientes mortem eius percipiunt, ipsum iam esse mortuum, quandò votum fecerunt.

Quæritur an votum adhuc teneat?

Resp. negatiuè; eò quia error est circà causam finalem voti.

II.

Casus De eo, qui cum vouerit dare cẽtum in eleemosinam, differẽdo fit impotens totã summã erogare.

Thomas in infirmitate vouet dispensare pauperibus centum aureos; sanus factus, cum possit hoc præstare, differt. Posteà pauper effectus, cum non possit hoc totum præstare.

Quæritur an adhuc teneatur prò parte, qua potest?

Resp. affirmatiuè: sicuti enim, qui vouet virginitatem, & sua causa voluntariè se polluit, tenetur adhuc seruare continentiam postquam de peccato

cato pœnituit: ex D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2. Ità etiam à pari discurrendum est in casu.

Error circà causam merè impulsiuam non irritat votũ.

Si denique causa non sit finalis, sed merè impulsiua, tunc error &c. circà ipsam non irritat votum. Sotus &c.

Casus.

Casus De vouente eleemosynã, quam libentiùs pauperi suo consanguineo erogaret, si inveniret, quẽ tamen non inuenit.

Bernardus in periculo submersionis vouit facere in eleemosinam 100. aureos, quod libentiùs faceret, si inueniret pauperem suum consanguineum, cui traderet. Non inuenit

Quæritur an adhuc teneatur alteri pauperi dare?

Resp. affirmatiuè; quia causa impulsiua non mouet per se primò ad operandum, sed solum allicit, & incitat. vt libentiùs tradat; & ideò &c.

Videatur D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 3. ad lit. pag. 33. 34.



AR-

ARTICVLVS V.

In quo explicatur particula facta Deo.

VOtum principaliter, & finaliter fit Deo, licet dirigatur Sanctis prout in ipsis virtus Dei relucet. D. Tho. 2.2. q. 88. art. 5. ad 3.

Votum quomodo fiat Deo, & Sanctis.

ARTICVLVS VI.

In quo assumitur explicatio vltimæ particulæ scilicet de meliori bono, per quam materia voti designatur.

PRimò, de necessarijs ad salutem potest dari votum. D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 2.

De quibus potest, aut non potest dari votum.

Secundò, de oppositis Euangelicis Consilijs non potest dari votum. Caiet. ibid.

Casus I.

Casus De eo, qui vouet nõ ingredi talem Religionem quia relaxata.

Titius vouet non ingredi talem Religionem, quia in ipsa regula nõn obseruatur.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: ex Nauar. in Man. cap. 12. num. 36. Sairo &c.

II.

Casus De eo, qui vouet non mutuare illi quē scit non restiturum.

Ortensius vouet se non mutuaturum Cneio, quia scit Cneium non restituturum.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: ex Soto lib. 7. de Iust. & Iur. quæst. 1. art. 3. Ludou. Lopez, &c.

III.

Casus De eo, qui vouet non emittere votum nisi de Consilio Cõfessarij.

Berta facit votum de non emittendo voto, nisi cum consilio Confessarij.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmativè: ex Syluestro verb. votum 2. q. 7. So to. Arag. &c.

Casus De eo, qui vouet oppositum voti iam facti.

Sed quid, si præexistente vno ex his votis; quis iterum voueat oppositum non habita consideratione ad primum votum; tenebit nè secundum?

Resp. affirmatiuè: ex Syluestr verb.

verb. Vot. 2. q. 7. Soto &c. vndè ſic vouens tenebitur ad obſeruationem illius. Peccat tamen mortaliter, quia frangit primum votum, quod de ſe erat validum, & obligatorium. pag. 36.

ARTICVLVS VII.

An votum factum de bono ſupererogationis ad malum finem ſit verum votum.

Votum ad malum finem non ſolum non tenet, ſed eſt peccaminoſum.

R. PRimò: Quandò malus finis eſt verè finis illius rei, quæ vouetur, votum non tenet; immò eſt promiſſio mala, & peccaminoſa. D. Antoninus &c. vt in op. pag. 36.

Caſus.

Caſus De eo, qui vouet opus bonum publicè faciendum, vt ab hominibus honoretur.

Antonius vouet facere eleemoſinam in Eccleſia coram omnibus, vt ab hominibus honoretur.

Quæritur an votum teneat?

Reſp. negatiuè; immò peccat mortaliter in peruerſa promiſſione.

Secundò: Si malus finis non ſit finis rei; ſed ſolum applicationis ad vouendum, tunc votum tenet. Caiet. Soto, &c. vt in op. pag. 37.

Casus I.

Casus De vouente ingredi Religionem, vt in ea lætanter viuat.

Theofilus videns Religiosos alicuius conuentus lætanter viuere vouet Religionem illam, vt lætos suos dies traducat.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia finis malus non est finis voti, sed solum applicationis.

II.

Casus De eo, qui vouet rem licitã sed à mala causa prouenientẽ.

Sempronius habens meretricem vouet Deo centum aureos in eius cultum errogandos, si ex ea filium suscipiat.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia promissio est licita, & de re licita; licet posteà per accidens à mala causa dependeat.

De eo, qui vouet malũ ex malo fine.

Tertiò: Si malus finis sit finis voti, siuè votum fiat antè; siue post finem malum obtentum, votum est nullum, immò apertissima blasphemia. Caiet. &c.

Casus I.

Cæſar vadens ad bellum iniuſtum vouet reddere 100. aureos Eccleſiæ, ſi victoriam conſequatur.

Casus De committente bellum iniuſtũ, & vouente, vt victoriam conſequatur

Quæritur an votum teneat?

Reſp. negatiuè: immò Cæſar peccat mortaliter peccato blaſphemiæ volens Deum auctorem mali, Caiet. &c. vt in op. n.5. pag.37.

II.

Cæſar aſſequuta victoria in bello iniuſto vouet dare 100. aureos pauperibus pro gratiarum actione.

Casus De vouente in gratiarũ actionẽ pro fine obtento ex medio iniquo.

Quæritur an votum teneat?

Reſp. negatiuè; immò peccat mortaliter, quia facit Deum auctorem mali.

Quartò, vota ſub conditione facta, ſi conditio ſit de obiecto bono, ipſa poſita, votum tenet: Si conditio ſit de obiecto malo votum non tenet adhuc poſita conditione. Caiet. Syluest. &c. vt in op. pag.37.

Votum ſub conditione de obiecto bono tenet; ſecus de obiecto malo etiam poſita conditione.

Casus I.

Casus De vouente aliquid titulo penitẽtiæ, si malũ committat.

Sempronius vouet offerre 160. aureos Ecclesiæ prò pœnitentia, si adulterium committat.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia conditio non cadit sub obiecto malo absolutè, sed solum, vt punitiuo, quod bonum est.

II.

Casus De vouente Religionem si adulteriũ committat.

Cneius habens maximam difficultatem ad ingressum Religionis, vouet Religionis ingressum, si adulterium committat.

Quæritur, an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia conditio cadit sub obiecto malo non absolutè, sed vt à malo præseruatiua, quod bonum est.

AR-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum votum de re indifferenti sit validum.

Resp. PRimò, quod votum de re indifferenti, prout indifferens est, nullum est. *Votum de re indifferenti, quatenus tali nullum est.*

D. Tho. &c. vt in op. pag. 37.

Secundò, dummodò tamen huiusmodi indifferentia ad bonum relata indifferentiam non perdant. Caiet. &c. prout in op. pag. 38.

Casus.

Theodosia in obsequium B. Virginis vouet die Sabbati non filare. *Casus De vouente res nullius momenti in obsequium Dei, vel sanctorum.*

Quæritur an hoc votum teneat?

Resp. negatiuè: Si tamen alia opera seruilia non omittat.

Quod si quæratur an Theodosia sic vouendo peccet?

Resp. peccare venialiter, quia malum est, per res nullius momenti velle Deo, & Sanctis reuerentiam exhibere.

Tertiò, si indifferentia ad bonum relata indifferentiam perdant, tunc si fiunt bona, votum de ipsis valet, c. paratus 23. q. 1. &c. *Votum de re indifferenti perdente indifferentiã, prout ad bonum refertur tenet.*

C 3 Casus

Casus.

Casus De vouente rem indifferentem ad euitandam peccati occasionem.

Curtius adiens domum patrui sui habet in ea occasionem peccandi cum famula. Vouet talem domum non intrare.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia licet adire domum Patrui sit res indifferens, tamen in casu non adire est bonum; & ideò &c.

ARTICVLVS IX.

Vtrum de his, quæ nec sunt de pręcepto, nec de Consilio possit dari votum.

Votum nubendi licèt in se non sit votum, tamen relatè ad subiectū potest esse votum.

HÆc difficultas solum vrget de voto Nubendi; vndè

Resp. primò, quod absolutè loquendo votum nubendi non est votum: comparatiuè tamen ad subiectum potest esse votum: prò quo sit pag. 38.

Casus

Casus I.

Tiberius multas carnis tentationes sustinens vouit nubere, cum alio modo non possit tentationes vitare?

Casus De vouente matrimonium ad vitandas tentationes carnis, quas aliter nequit reprimere.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: ex Apost. 1. ad Corinth. 7. *Meliùs est nubere, quàm vri.*

II.

Cyrus contraxit sponsalia cum Caia, & habuit rem cum illa, vndè non potest Caia ab hac infamia liberari, nisi Cyrus ducat eam in matrimonium. Quapropter Cyrus matrimonium vouet.

Casus De eo, qui vouet matrimonium ad seruandam famã proximi.

Quæritur an votum sit validum.

Resp. affirmatiuè: quia tunc nubere est necessitatis ob famam proximi.

III.

Curtius filius Regis Poloniæ vouet nubere cum filia Regis Suetiæ non solum, vt pacem habeant præfati reges simul, sed etiam, vt indè Suecos ad Catholicam fidem conuertat.

Casus De eo, qui vouet nuptias, quia ex illis bonum tam temporale,

Quæritur an votum teneat?

cato pœnituit: ex D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2. Ità etiam à pari discurrendum est in casu.

Error circà causam merè impulsiuam non irritat votũ.

Si denique causa non sit finalis, sed merè impulsiua, tunc error &c. circà ipsam non irritat votum. Sotus &c.

Casus.

Casus De vouente eleemosynã, quam libentiùs pauperi suo consanguineo erogaret, si inveniret, quẽ tamen non inuenit.

Bernardus in periculo submersionis vouit facere in eleemosinam 100. aureos, quod libentiùs faceret, si inueniret pauperem suum consanguineum, cui traderet. Non inuenit

Quæritur an adhuc teneatur alteri pauperi dare?

Resp. affirmatiuè; quia causa impulsiua non mouet per se primò ad operandum, sed solum allicit, & incitat. vt libentiùs tradat; & ideò &c.

Videatur D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 3. ad lit. pag. 33. 34.



AR-

ARTICVLVS V.

In quo explicatur particula facta Deo.

VOtum principaliter, & finaliter fit Deo, licet dirigatur Sanctis prout in ipsis virtus Dei relucet. D. Tho. 2.2. q. 88. art. 5. ad 3.

Votum quomodo fiat Deo, & Sanctis.

ARTICVLVS VI.

In quo assumitur explicatio vltimæ particulæ scilicet de meliori bono, per quam materia voti designatur.

PRimò, de necessarijs ad salutem potest dari votum. D. Tho. 2. 2. q.88. art.2.

Secundò, de oppositis Euangelicis Consilijs non potest dari votum. Caiet. ibid.

De quibus potest, aut non potest dari votum.

Casus

Casus I.

Casus De eo, qui vouet nō ingredi talem Religionem quia relaxata.

Titius vouet non ingredi talem Religionem, quia in ipsa regula non obseruatur.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: ex Nauar. in Man. cap. 12. num. 36. Sairo &c.

II.

Casus De eo, qui vouet non mutuare illi quē scit non restituturum.

Ortensius vouet se non mutuaturum Cneio, quia scit Cneium non restituturum.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: ex Soto lib. 7. de Iust. & Iur. quæst. 1. art. 3. Ludou. Lopez, &c.

III.

Casus De eo, qui vouet non emittere votum nisi de Consilio Confessarij.

Berta facit votum de non emittendo voto, nisi cum consilio Confessarij.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: ex Syluestro verb. votum 2. q. 7. Soto. Arag. &c.

Casus De eo, qui vouet oppositum voti iam facti.

Sed quid, si præexistente vno ex his votis; quis iterum voueat oppositum non habita consideratione ad primum votum; tenebit nè secundum?

Resp. affirmatiuè: ex Syluester verb.

verb. Vot. 2. q. 7. Soto &c. vndè sic vovens tenebitur ad obseruationem illius. Peccat tamen mortaliter, quia frangit primum votum, quod de se erat validum, & obligatorium. pag. 36.

ARTICVLVS VII.

An votum factum de bono supererogationis ad malum finem sit verum votum.

Votum ad malum finem non solum non tenet, sed est peccaminosum.

℞. PRimò: Quandò malus finis est verè finis illius rei, quæ vouetur, votum non tenet; immò est promissio mala, & peccaminosa. D. Antoninus &c. vt in op. pag. 36.

Casus.

Casus De eo, qui vouet opus bonum publicè faciendum, vt ab hominibus honoretur.

Antonius vouet facere eleemosinam in Ecclesia coram omnibus, vt ab hominibus honoretur.

Quæritur an votum teneat?

Resp. negatiuè; immò peccat mortaliter in peruersa promissione.

Secundò: Si malus finis non sit finis rei; sed solum applicationis ad vouendum, tunc votum tenet. Caiet. Soto, &c. vt in op. pag. 37.

Casus I.

Casus De vouente ingredi Religionem, vt in ea lætanter viuat.

Theofilus videns Religiosos alicuius conuentus lætanter viuere vouet Religionem illam, vt lætos suos dies traducat.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia finis malus non est finis voti, sed solum applicationis.

II.

Casus De eo, qui vouet rem licitā sed à mala causa proueniētē.

Sempronius habens meretricem vouet Deo centum aureos in eius cultum errogandos, si ex ea filium suscipiat.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia promissio est licita, & de re licita; licet posteà per accidens à mala causa dependeat.

De eo, qui vouet malū ex malo fine.

Tertiò: Si malus finis sit finis voti, siuè votum fiat antè; siue post finem malum obtentum, votum est nullum, immò apertissima blasphemia. Caiet. &c.

Ca.

Casus I.

Cæsar vadens ad bellum iniuſtum vouet reddere 100. aureos Eccleſiæ, ſi victoriam conſequatur.

Casus De committente bellum iniuſtū, & vouente, vt victoriam conſequatur

Quæritur an votum teneat?

Reſp. negatiuè: immò Cæſar peccat mortaliter peccato blaſphemiæ volens Deum auctorem mali, Caiet. &c. vt in op. n. 5. pag. 37.

II.

Cæſar aſſequuta victoria in bello iniuſto vouet dare 100. aureos pauperibus pro gratiarum actione.

Casus De vouente in gratiarū actionē pro fine obtento ex medio iniquo.

Quæritur an votum teneat?

Reſp. negatiuè; immò peccat mortaliter, quia facit Deum auctorem mali.

Quartò, vota ſub conditione facta, ſi conditio ſit de obiecto bono, ipſa poſita, votum tenet: Si conditio ſit de obiecto malo votum non tenet adhuc poſita conditione. Caiet. Syluest. &c. vt in op. pag. 37.

Votum ſub conditione de obiecto bono tenet; ſecus de obiecto malo etiam poſita conditione.

Casus I.

Casus De vouente aliquid titulo penitētiæ, si malū committat.

Sempronius vouet offerre 160. aureos Ecclesiæ prò pœnitentia, si adulterium committat.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia conditio non cadit sub obiecto malo absolutè, sed solum, vt punitiuo, quod bonum est.

II.

Casus De vouente Religionem si adulteriū committat.

Cneius habens maximam difficultatem ad ingressum Religionis, vouet Religionis ingressum, si adulterium committat.

Quæritur, an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia conditio cadit sub obiecto malo non absolutè, sed vt à malo præseruatiua, quod bonum est.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum votum de re indifferenti sit validum.

Resp. PRimò, quod votum de re indifferenti, prout indifferens est, nullum est.

Votum de re indifferēti, quatenus tali nullum est.

D. Tho. &c. vt in op. pag. 37.

Secundò, dummodò tamen huiusmodi indifferentia ad bonum relata indifferentiam non perdant. Caiet. &c. prout in op. pag. 38.

Casus.

Theodosia in obsequium B. Virginis vouet die Sabbati non filare.

Casus De vouente res nullius momenti in obsequium Dei, vel sāctorum.

Quæritur an hoc votum teneat?

Resp. negatiuè: Si tamen alia opera seruilia non omittat.

Quod si quæratur an Theodosia sic vouendo peccet?

Resp. peccare venialiter, quia malum est, per res nullius momenti velle Deo, & Sanctis reuerentiam exhibere.

Tertiò, si indifferentia ad bonum relata indifferentiam perdant, tunc si fiunt bona, votum de ipsis valet, c. paratus 23. q. 1. &c.

Votum de re indifferenti perdente indifferentiā, prout ad bonum refertur tenet.

Casus.

Casus De vouente rem indifferentem ad euitandam peccati occasionem.

Curtius adiens domum patrui sui habet in ea occasionem peccandi cum famula. Vouet talem domum non intrare.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia licet adire domum Patrui sit res indifferens, tamen in casu non adire est bonum; & ideò &c.

ARTICVLVS IX.

Vtrum de his, quæ nec sunt de precepto, nec de Consilio possit dari votum.

Votum nubendi licèt in se non sit votum, tamen relatè ad subiectũ potest esse votum.

HÆc difficultas solum vrget de voto Nubendi; vndè

Resp. primò, quod absolutè loquendo votum nubendi non est votum: comparatiuè tamen ad subiectum potest esse votum: prò quo sit pag.38.

Casus I.

Tiberius multas carnis tentationes sustinens vouit nubere, cum alio modo non possit tentationes vitare?

Casus De vouente matrimonium ad vitandas tentationes carnis, quas aliter nequit reprimere.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: ex Apost. 1. ad Corinth. 7. *Meliùs est nubere, quàm uri.*

II.

Cyrus contraxit sponsalia cum Caia, & habuit rem cum illa, vndè non potest Caia ab hac infamia liberari, nisi Cyrus ducat eam in matrimonium. Quapropter Cyrus matrimonium vouet.

Casus De eo, qui vouet matrimonium ad seruandam famã proximi.

Quæritur an votum sit validum.

Resp. affirmatiuè: quia tunc nubere est necessitatis ob famam proximi.

III.

Curtius filius Regis Poloniæ vouet nubere cum filia Regis Suetiæ non solum, vt pacem habeant præfati reges simul, sed etiam, vt indè Suecos ad Catholicam fidem conuertat.

Casus De eo, qui vouet nuptias, quia ex illis bonum tam temporale,

Quæritur an votum teneat?

 Resp.

quam spirituale proximi resultat.

Resp. affirmatiuè: quia tunc nubere induit rationem boni.

Votum de nõ nubendo absolutè nõ est votum.

Secundò, votum de non nubendo absolutè non est votum; quia non nubere vt sic est quid indifferens ad bonum, & malum; vndè fit

Casus I.

Casus De vouente non nubere, vt semper scortho adhæreat.

Tiburtius habens Concubinam, vt semper maneat cum ea vouet non nubere.

Quæritur an huiusmodi votum teneat?

Resp. negatiuè: immò Tiburtius peccat mortaliter, quia vult Deum esse mali patronum.

II.

Casus De vouente non nubere, vt castè Deo viuat.

Bernardus, vt soli Deo vacet, & castè viuat, vouet non nubere.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè rat one finis boni &c. Nauar. in Man. c.12. n.4. &c.

AR-

ARTICVLVS X.

An votum de non committendo peccato sit validum.


Resp. SIc: Loquendo tam de peccato mortali, quam veniali in spetie.

Votum de nõ committendo peccati tam mortali, quam veniali in speciei, est validum.

Dixi in spetie, quia si quis faceret votum de non committendo peccato veniali in genere non est validum, nec tenet; cùm sit impossibile via ordinaria, & quoad nos omnia vitare; vndè qui tale votum emitteret ad nihil teneretur ex vi voti, & ideò non plùs peccaret peccando venialiter, quam si votum non emisisset.

Votum de nõ committẽdo veniali in genere non est validum.

Videatur opus pag. 39.



ARTICVLVS Vltimus.

De multiplici diuisione voti.

Voti diuisio.

PRimò diuiditur in commune, & singulare. Primum est promissio facta Deo de aliquo necessario ad salutem. Secundum est de bono supererogationis, ad quæ aliàs quis non teneretur.

Et est duplex; aliud simplex, aliud solemne: hoc secundum est illud, quod solemnizatur per professionem alicuius Religionis approbatæ, vel per susceptionem ordinis sacri. Cætera sunt vota simplicia. Simplex aliud est affirmatiuum, aliud negatiuum &c.

Secundò, votum aliud est reale, aliud personale &c.

Tertiò, votum aliud est absolutum, aliud conditionatum, & aliud pœnale &c.

Videantur in opere pag. 40.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De subiecto Voti.

Correspondet art. 8. & 9. huius q. 88. D. Tho. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

An libertas extrinseca necessariò requiratur ad constituendum votum?

Resp. SIc: vndè nemo, qui est sub alterius potestate potest de his rebus in quibus ei subijcitur, votum emittere, nisi sub hac conditione, si suis superioribus placuerit, vel non renitantur. pag. 41.

Ad votum ritè constituendum requiritur libertas extrinseca.

D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 8. ad lit.

ARTICVLVS II.

An Religiosi de aliquibus bonis supererrogationis possint absque licentia superioris votum facere.

Vota Religiosorum de bonis supererrogationis ex sua natura non sunt irrita.

Eadem potest superior irritare, & idcircò facienda cum conditione si superior consenserit, vel non contradixerit.

Resp. SIc absolutè loquendo; vndè vota Religiosorum non sunt irrita ex sua natura, sed solum quia possunt à Prælato irritari. Et ideò si subditus voueat bonum supererrogationis à Prælato inhibitum debet apponere conditionem affirmatiuam, si superior consenserit; si autem bonum supererrogationis, quod vouet, non sit à Prælato inhibitum, sufficiet, si apponat conditionem negatiuam, nisi superior contradicat: qua contradictione non aduenìente tenetur subditus implere illud sub pœna peccati mortalis.

D.Tho. Caiet. &c. prout in op. p.42

Casus

Casus I.

Religiosus vouet ieiunium vltrà suam Regulam de licentia Prælati. Ex post dubium habens Prælatus, quod nimia abstinentia subdito noceat reuocans licentiam prohibet subdito, quod vltrà regulam ieiunet.

Casus De Religioso vouente ieiuniũ vltrà regulam de consensu Superioris, ex post tamen ex rationabili motiuo licẽtiam reuocantis.

Quæritur an subditus ad aliquid teneatur ex vi voti emissi?

Resp. negatiuè: eo quod dominium absolutum eius voluntatis semper apud superiorem manet. Caiet. 2. 2. q.88. art.8. dub.3.

II.

Religiosus facit votum de transeundo ad arctiorem Religionem antè omnem consensum sui Superioris.

Casus De Religioso vouente transitũ ad arctiorẽ Religionem sine omni Superioris consensu.

Quæritur an votum teneat?

Resp. affirmatiuè: quia in hoc subditus non subest Prælato. D.Tho. 2.2. q. 89. art. 8. Caiet. &c. Meliùs tamen faceret, si licentiam à suo Prælato humiliter peteret, c. licet de Reg.

AR-

ARTICVLVS III.

Quænam vota Coniugum sine mutuo consensu sint valida?

Neuter cõiugum vouere potest sine alterius consensu, quæ spectãt ad debitum coniugale.

Resp. PRimò omnia ea, quæ possunt impedire debiti coniugalis redditionem, neuter coniugum potest vouere sinè alteriùs consensu. pag. 43.

D. Tho. 2. 2. quæst. 88. art. 8. Sylvest. &c.

Casus.

Casus De vxore cui maritus prohibet ieiuniũ, quod ipsa vouerat in honorem Virginis, antequàm nuberet.

Berta antequam nuberet, vouit ieiunium Sabbati in pane, & aqua ob gratiam à B. Virgine receptam. Prohibet hoc illi Maritus.

Quæritur, an excusetur ab obseruatione voti?

Resp. affirmatiuè secundùm omnes. Mortuo tamen marito id adimplere tenebitur, c. Manifest. 33. q. 5. & Ros. verb. votum 2. §. 8. &c.

II.

Caia antequam nuberet, vouerat votum simplex continentiæ.

Casus De nupta quæ antequam nuberet vouit votum simplex continentiæ.

Nupta ad quid tenetur?

Resp. quod tenetur debitum coniugale reddere viro exigente, non tamen ipsa potest tale debitum petere; quia tenetur, quantum potest votum adimplere. D. Thom. quodlib. 3. art.18. &c.

Multa alia videantur in op. p. 43.

Secundò, Mulier non potest votum emittere de his, quæ concernunt ministerium domus; putà de danda pœcunia in eleemosinam; dummodò tamen non possideat aliquid extrà dotem; quia tunc si de his faceret, teneret.

Mulier non potest de his quæ spectat ad ministerio domus vouere.

Tertiò, vniuersaliter loquendo, quæ non tendunt in præiuditium alterius, possunt coniuges vouere; & de his validum est votum, vndè si non adimplent peccant. pag. 44.

Vniuersaliter loquendo coniuges vouere possunt, quæ non sunt in alterius preiudicium.

Videatur Nauar. in Man. cap. 12. num. 59. &c.

ARTICVLVS IV.

An vota seruorum, & puerorum sint valida.

Serui non possunt vouere ea, quibus Dominis subsũt.

Resp. PRimò, quod serui quantum ad ea, quibus subsunt dominis suis, non possunt facere vota; benè tamen poterunt votum emittere de his, in quibus non subijciuntur dominis: putà de actibus internis, de prætio sui stipendij &c. pag. 44.

D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 8. ad lit.

Pueri post pubertatem possunt vouere de bonis Castrensibus, vel quasi, et post 16. annum etiam votũ solemne Religionis.

Secundò, Pueri post annos pubertatis possunt facere votum de bonis Castrensibus, & quasi Castrensibus, sicuti etiam votum solemne Religionis post annum 16. ex Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15. Nec huiusmodi vota possunt à parentibus irritari.

Vota puerorum de bonis realibus infrà minoritatẽ possunt irritari à parentibus, vel tutoribus secus verò post impletam minoritatem.

De alijs verò bonis realibus, si infrà minoritatem votum faciant, potest à parentibus, & tutoribus irritari; quod si hoc non fecerint, dum statum minoritatis excesserint, tunc ad ipsum absolutè tenentur, nec ampliùs poterit irritari. pag. 44.

D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 9. ad lit.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

De obligatione voti.

VOtum ad sui obseruationem obligat, vndè peccat peccato Infidelitatis, quicumque votum non obseruat. pag.45.

Votum inducit obligationẽ obseruandi quod vouetur, unde non obseruans peccat peccato infidelitatis.

D. Tho. 2. 2. q.88. art. 3. ad lit.

An autem eius transgressio semper sit mortale; loquendo de voto in materia graui nemo est qui ambigat.

Transgressio voti in re graui est mortalis.

Loquendo verò de voto in re minima, vt videamus quid sit dicendum sit

ARTICVLVS I.

An votum de re minima obliget sub mortali.

Resp. SIc: Si res minima sit tota materia voti; quia non minùs frãgit fidem datam Deo, qui violat votum de re minima, ac de re graui. Cùm ergò maior sit obligatio voti, quã iuramenti. Ex D. Tho. 2. 2. quæst.89. art. 8. in corp. Et sit peccatum mortale aduocare Deum in testem mendacij leuis, ex prop. dam. ab Innoc. XI. n. 24.

Votum de re minima, quæ præsertim sit tota materia voti obligat sub mortali.

num.24. A fortiori erit peccatum mortale &c. Caiet. &c.

Si autem res minima sit pars tantùm materiæ voti, obligat solum sub veniali.

Dixi si res minima sit tota materia voti; nam si esset solum pars materiæ voti, tunc absque dubio esset solum veniale.

Adest tamen adhuc sententia asserens absolutè esse veniale, & est communior. pàg.45.

Casus I.

Casus De vouente aliquã breuem Orationem quotidiè dicendã & aliquandò data opera illam ommittente.

Sempronia vouit B. Virgini dicere quotidiè salutationem Angelicam. Ipsa scienter, & data opera vno die talem orationem non dicit.

Quæritur an peccet mortaliter?

Resp. affirmatiuè: quia res minima est tota materia voti secundum primam opinionem, licet secundum alteram possit dici, peccare solũ venialiter.

II.

Casus De vouente dicere quotidiè v.g. tertiam partẽ Rosarii, & aduertenter ommittente vnam salutationẽ Angelicam.

Berta vouit dicere quotidiè tertiam partem Rosarij B. V. inter dicendum autem aduertens se vnam salutationem Angelicam reliquisse, non curat eam recitare.

Quæritur quomodò peccet?

Resp. peccare solum venialiter; quia res minima non est tota materia voti. pag.45.

Vo-

Votum obligat ad sui obseruationem ex iure naturali, & diuino. pag. 46. D. Tho. 2.2. quæst. 88. art. 10. ad 2. ad lit.

Votũ obligat ex iure naturali, & diuino.

ARTICVLVS II.

In quo plura dubia resoluuntur obligationem voti concernentia.

Casus I.

THomas viuens fecit votum dandi 100. aureos in Eleemosinam; quod cùm non impleuerit, manifestat Tiberio hæredi suo, cui bona multa reliquit.

Quæritur an Tiberius teneatur votum soluere.

Resp. affirmatiuè: quia votum reale est debitum transiens ad hæredem. Ex D. Antonin. 2. p. tom. 11. cap. 2. §. 5. Palud. &c.

Casus De eo, qui in morte manifestat suo hæredi, cui multa bona relinquit votum reale à se viuẽte iam factum, sed nõ solutum.

II.

Casus De eo, qui manifestat hæredi votum merè personale, non impletum.

Cintius vouit inuisere domum Lauretanam, quod cùm non impleuerit, manifestat hæredi suo.

Quæritur an hæres teneatur illud implere.

Resp. negatiuè: quia vota merè personalia non adimplentur, nisi per vouentem.

Casus De rogante hæredem, vt pro se impleat votum personale, et heres promittit.

Sed quid si Cintius rogauit hæredem, vt iret pro eo, & hæres promisit?

Resp. quod tunc hæres tenetur ire; quia per promissionem votum fecit suum.

III.

Casus De eo, qui in morte manifestat hæredi votu mixtum ex reali, & personali à se factum & non impletum.

Tiberius fecit votum inuisendi domum Lauretanam, & deferendi statuam Argenteam ad B. V. In articulo mortis manifestat hæredi se hoc suum votum non adimpleuisse.

Quæritur ad quid hæres teneatur.

Resp. ad mittendam statuam argenteam; quia in votis mixtis ex reali, & personali, si vterque æquiparetur hæres tenetur ad reale: sicuti etiam, si reale sit principale. Si autem personale sit principale, & reale accessorium, tunc ad nihil tenetur hæres.

Videatur opus. pag. 46.

IV.

I V.

Tindarus adhuc puer cum grauem habuisset infirmitatem à matre deuouetur peregrinationi ad loca sancta. Grandeuus factus hoc votum à matre illi manifestatur. *Casus De eo, cuius opus ipse inscíente ab alio devouetur.*

Quæritur an teneatur adimplere.

Resp. negatiuè: & si hoc faciat erit opus perfectionis; sicuti multi fecerunt sancti &c. n. 2. pag. 46.

Aduerte quod Votum debet adimpleri pro tempore; & loco, secundum vouentis intentionē, propter quod sit *Vota implēda sunt iuxta vouentis intentionē.*

Casus V.

Cneia vouit Ieiunare in die S. Annæ quolibet anno; talis dies est dominica. *Casus De vouente ieiunare in die festo alicuius Sācti.*

Quæritur, an teneatur ieiunare?

Resp. affirmatiuè: quia cum vouerit ieiunare in die festo, & non in vigilia supponitur ieiunium potiùs excultationis, quam afflictionis: quod si vouisset ieiunare in vigilia; & hæc in dominica euenerit; debet ieiunare in Sabbato antecedenti, vt se conformet Ecclesiæ.

Sed quid si tali die non ieiunet, tenebitur nè altero die ieiunare? *Ad quid teneatur, si in tali determinato die, vt vouerat, non ieiunavit.*

Resp. negatiuè: sed debet conteri, & confiteri de peccato &c.

AR-

ARTICVLVS III.

Quid sit dicendum de eo, qui vouit Religionem intrare.

Vouens secundùm eã intẽtionem, quã in vouendo habuit, tenetur votum implere eo meliori modo, quo potest.

Resp. QVòd tenetur votum adimplere secundùm suam intentionom, quam habuit in vouendo, & eo meliori modo quo potest; vndè si vouit Religionem, vt sic, debet multas inquirere: & si vnam tantum Religionem, debet multos Conuentus illius attentare; & si vnicum tantum Conuentum, debet solum hunc adire: quod si expellatur, ad nihil ampliùs tenetur.

D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2.

Multa alia circà hoc videas .n opere pag. 47.



QVÆ-

QVÆSTIO VI.

De irritatione, dispensatione, & commutatione voti.

Correspondet art. 10. q. 88. D. Tho. in 2. 2.

IRitatio, quæ importat annullationem, & inualiditatem voti; potest fieri absque causa, & ad libitum irritant.s; & hoc propter defectum potestatis in vouente.

Irritatio voti est annullatio eiusdē etiā sine causa, & ex mero libito irritantis.

Dispensatio, quæ pariter importat annullationem voti, requirit non solum auctoritatem in dispensante, sed etiam legitimam causam in dispensato.

Dispensatio est annullatio voti, sed cum causa legitima in dispensato.

Commutatio denique, quæ non est annulatio voti, sed vnius in aliud permutatio, non solum requirit auctoritatem in commutante, sed vlteriùs ad aliquid aliud obligat vouentem; & quidem, si sit sinè causa, ad aliquid aliud melius, & perfectiùs: si autem cum causa, in aliud æquè meliùs. pag. 48.

Commutatio non annullat, sed vnum votū permutat in aliud.

ARTICVLVS I.

De irritatione Voti.

Superior potest irritare vota subditorũ.

QVilibet superior potest vota subditorum irritare propter causas suprà positas: & tunc subditi ad aliquid aliud non tenentur.

Casus.

Casus De vxore vouente ieiunium si fuerit soluta, & eius marito tale votum irritante.

Berta vxorata optans ieiunare in die Sabbati, nec valens ob mariti prohibitionem, vouit ieiunare, si fuerit in propria libertate. Quod audiens maritus, tale votum irritat.

Quæritur, an facta vidua, adhuc teneatur ieiunare?

Resp. affirmatiuè: quia non est valida irritatio, cùm materia voti pro eo tempore non sit in potestate mariti &c. pag. 49.



AR-

ARTICVLVS II.

De personis, quæ possunt in voto dispensare.

SVpposita auctoritate in Ecclesia ad dispensandum in votis: ex D. Tho. 2.2. q.88. art.10. in corp.

Papa universaliter potest in omnibus votis, & singulariter in sibi reseruatis dispensare.

Resp. primò, quòd Papa vniuersaliter potest in votis omnibus dispensare, singulariter verò in votis sibi reseruatis: & sunt votum solemne annexum ordini sacro; votum simplex castitatis perpetuæ, & religionis; Votum peregrinationis in Hierusalem; votum visitandi limina Apostolorum Petri, & Pauli; Et votum peregrinationis ad S. Iacobum Compostellæ. Sylvest. verb. Votum 4. q. 3. Tabien. &c. pag.49.

Episcopi suos subditos dispensare possunt in omnibus exceptis Papæ reseruatis.

Secundò, quòd Episcopi, & omnes alij Prælati spiritualem iurisdictionem ordinariam habentes possunt dispensare quoad sibi subditos in omnibus votis, exceptis supradictis &c. p.50. D. Tho. 2. 2. q.88. art.12. ad 3.

ARTICVLVS III.

De causis ad dispensationem voti necessarijs.

Quod impedit maius bonum, est causa dispẽsationis voti.

PRimò, quæuis causa reddens complementum ipsius voti malum, vel inutile, & maioris boni impeditiuum est satis iusta, & rationabilis ad dispensandum in voto. pag. 51.

D.Tho. 2.2. q. 88. art.10. in corp.

Quod impedit honorẽ Christi, & Ecclesiæ vtilitatẽ, est causa similiter sufficiens ad dispẽsandum in voto.

Secundò, vniuersaliter loquendo omnis causa impediens honorem Christi, & vtilitatem Ecclesiæ potest dici sufficiens ad sic immutandam materiam voti. Et ideò tunc potest semper fieri dispensatio, quæ vniuersaliter debet fieri ad honorem Christi, & vtilitatem Ecclesiæ.

D. Tho. 2. 2. quæst. 88. art. 12. in corp.

Alias etiã causas vide in oper. magn.

Causas particulares vide in opere pag. 51.

AR-

ARTICVLVS Vltimus.


De commutatione Voti.

QVandò res, in qua fit commutatio est apertè melius bonum in ipsa vnusquisque potest suum votum commutare; si autem res sit solum æquè bona, seu dubia, an sit melius bonum tunc semper debet adhiberi superioris auctoritas.

Quandò ex se quis possit commutare votum, & quandò necessaria sit superioris facultas

D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1.

Cætera vide in opere. p. 52.



QVÆSTIO VII.

De quidditate Iuramenti.

Correspondet q. 89. D. Th. in 2.2.


ARTICVLVS I.

In quo iuramenti definitio explicatur.

Definitio Iuramenti. DEfinitur affirmatio, vel negatio de aliquo licito, & honesto facto, vel faciendo sacræ rei attestatione firmata. Canonistæ in Rub. de Iureiur.

D. Tho. 2. 2. q.89. art. 1.

Explicationem videas in op. p.53.



AR-

ARTICVLVS II.

An licitum ſit iurare?

Reſp. SIc: loquendo de iuramento ſecundum ſe, ſeruata neceſſitate, & cautela debita. p.54. *Licet iurare ſeruata debita neceſſitate, & cautela.*

D. Tho. 2.2. q.89. art.2. ad lit.

ARTICVLVS III.

An licitum ſit iurare per creaturas?

Reſp. NOn, abſolutè; benè verò quatenùs in eis diuina veritas manifeſtatur; vel, vt in aliqua earum diuinum iudicium exerceatur. *Abſolutè non licet iurare per creaturas.*

D. Tho. 2.2. q.89. art.6. ad lit.

Vndè iuramentum duplex, aliud conteſtatiuum; aliud execratiuum, de quo videatur opus. p.55. *Diuiſio iuramenti.*

Casus I.

Casus De eo, qui iurat per pudenda Christi, vel Virginis.

Tiberius iurat per membra inhonesta Christi, & B. Virg.

Quæritur an sic iurando peccet?

Resp. affirmatiuè: licet enim in Christo &c. de facto sint prædicta membra; attamen iurare per illa innuit irreuerentiam; & ideò sic iurans vt blasphemus punitur ex c. Clericum, & c. si quis per capil. 22. q. 1.

II.

Casus De eo, qui iurat per falsũ Deũ.

Cneius habens consuetudinem iurandi, vt se caueat à peccato per falsum Deum, putà per Baccum iurat.

Quæritur an peccet?

Resp. quod si de facto intenderet inducere talem Deum in testem &c. tunc absque dubio peccaret mortaliter peccato idolatriæ. Si autem hoc faciat inaduertenter, & ex quadam consuetudine non peccat; dicit Toletus lib. 4. cap. 21. n. 3. quòd peccat venialiter.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

De tribus commitibus iuramenti.

Correspondet art. 3. quæst. 89. D. Th. in 2. 2.

TRes sunt committes iuramenti Iudicium, veritas, & iustitia, de quibus Hierem. 4. *Iurabis, vivit Dominus, in veritate, iudicio, & iustitia.*

De tribus comitibus iuramenti.

ARTICVLVS I.

De iuditio discretionis ad iuramentum requisito.

LIcèt iuramentum de se sit bonum, quatenùs à fide Catholica proficiscitur, tamen non est licitum, nisi necessitas confirmandi id, quod dicimus, hoc exposcat. Vndè Eccles. 13. dicitur: *Non assuescat os tuum iurationi, multi enim casus in illa.* p. 56.

De iudicio primo comite iuramẽti

Casus.

Casus De eo, qui ex consuetudine etiã in minimis iurat.

Thomas consuetudinaliter, etiam in rebus paruis iurat.

Quæritur an peccet, & quomodò?

Resp. semper peccare; non tamen mortaliter, nisi adsit contemptus Dei, ad quem frequens vsus iurandi aliquandò inducit. Tabiena verb. Iuram. §.8. &c.

ARTCVLVS II.

De secundo comite iuramenti, nempè Veritate.

Qui scienter & aduertẽter iurat falsũ, peccat mortaliter peccato periurii, licèt mendacium in cuius gratiam iurat, sit leue.

DIco primò: Ille qui iurat falsum sciens, & existimans esse tale, & aduertens se iurare (quod DD. in c. animaduertendum 22.q.2. appellare solent, aduertere de dicto, & iuramento) peccat mortaliter verò peccato periurij; etiamsi mendacium, in cuius confirmationem iurat, sit leue. Ex prop. damn. ab Innoc.XI.n.24

Iurans falsum putans esse verũ de se nõ peccat mortaliter.

Secundò ille, qui iurat falsum, putans esse verum, de se non peccat mortaliter, cùm solùm sit materialiter periurus. Tabien. eod. verb. §.9.

Tertiò, è contra ille, qui iurat verum, putans esse falsum, peccat mortali-

taliter, cum sit formaliter periurus: ex Tabiena ibid. quamuis iocandi gratia hoc faciat: quia Deus non irridetur: cap. homines 22. q. 1.

Iurans verum putās esse falsum peccat mortaliter.

Quartò, qui iurat falsum non aduertens esse tale; verum ità dispositus iurat, vt etiamsi aduerteret esse falsum, nihilominùs iuraret, propter peruersam consuetudinem, qua in quolibet discursu tam vera, quam falsa iuramento confirmat, peccat mortaliter ex Nauar. in Man. cap. 12. n. 6. &c. quia inconsideratio non est causa, sed comes iuramenti.

Qui non aduertens iurat falsum, quòd nihilominùs ex peruerso vsu iuraret, etiamsi aduerteret, mortaliter peccat.

Cætera videas in opere; Et præcipuè advertas prop. dam. ab Innoc. XI. n 25. 26. 27. 28. pag. 58.

ARTICVLVS III.

De tertio comite iuramenti, scilicet Iustitia.

IVstitia in iuramento importat, vt res, quæ juratur sit licita, & honesta; ad quod explicandum sit

Tertius comes iuramenti, res quæ iuratur debet esse licita, & honesta.

Casus I.

Casus De eo, qui iurat se malũ facturũ.

Sempronius iurat, se iturum ad meretricem, vt fornicetur.

Quæritur an peccet, & quotuplici peccato?

Resp. cum distinctione; nam aut intendit facere, quod iurat, & tunc peccat duplici peccato, scilicet, proponendo malum, & aduocando Deum in testem mali. Vel non intendit facere, quod iurat; & tunc peccat solum mortaliter ex periurio. Caiet. 2. 2. q.89. art.7. Armil. &c.

II.

Casus De eo, qui iurat, se in honesta conversatione otiosa narraturum, ut risum inducat.

Curtius iurat adesse honestæ conuersationi, vt multa otiosa depromat, & alios ad risum inducat.

Quæritur an peccet, & quotuplici peccato?

Resp. pariter cum distinctione: Nam aut intendit facere, quod jurat, & tunc peccat solum venialiter: Ex D. Antonin. 2. p. tit. 10. cap. 4. §. 1. Si autem intenderet contrarium, peccat mortaliter propter periurium intentum; & quia aduocat Deum in testem mendacij. Ex D. Tho. 2. 2. q.89. art. 7. ad 2. & ex prop. dam. ab Innoc. XI. num. 24.

III.

Cicero iurat, ſe non iturum ad domum ſui Conſubrini per annum.

Caſus De eo, qui iurat ſe alicubi nō iturum.

Quæritur an peccet, & an verè iuramentum teneat.

Reſp. cum diſtinctione; aut hoc fecit abſque vllo fine, & tunc cum res ſit indifferens, peccat venialiter, & non tenetur iuramentum ſeruare. Ex D. Antonin. 2. p. tom. 10. c. 4. §. 1.

Si verò hoc faciat ob bonum finem putà ad euitandum malum; tunc bonum eſſet iuramentum, & obligatorium. Ex eod. D. Antonin. ibid. §. 2.

Si denique hoc faceret ad malum finem, putà ad oſtendendum odium contrà ſuum Conſubrinum conceptum; tunc peccaret mortaliter, quia aduocaſſet Deum in teſtem rei malæ: Et iuramentum non obligaret deffectu materiæ. D. Tho. & cæteri, vt in opere pag. 59.

Sed quid ſi iuraret ſe non facturum aliquod bonum, ad quod non teneretur ex præcepto, putà ſe non mutuaturum Conſubrino &c.

Caſus De iurante ſe non facturum bonū, ad quod aliàs ex pręcepto non tenetur.

Reſp. quod ſi hoc tam pertinaciter iuraret, vt intenderet neque illi mutuare in extrema neceſſitate, tunc vtique peccaret mortaliter. D. Antonin. 2. p. tit. 10. cap. 6. §. 3. Addens, quod ſi neceſſitas vrgeret, poſſet ex ſe hoc iuramentum frangere &c.


Si autem hoc non intenderet, nec ex odio faceret, tunc peccaret ſolum venialiter, ex Caiet.

Caſus De iurante aliquod bonum quod progreſſu tẽporis fit malum.

Quid denique ſi iuraret aliquod bonum, quod poſteà progreſſu temporis fit malum, putà iurauit Curtius adire domum Conſubrini ad inuiſendos Conſanguineos grauiter decumbentes, ſed adinuenta in dicta domo muliere, quæ eum prouocat ad malum, cognoſcit, quod ſi proſequatur ad illam accedere, peccabit cum ea?

Reſp. tunc non eſſe obſeruandum iuramentum. Et huiuſmodi fuit iuramentum Hærodis, &c. de quo videatur opus. pag. 59.

Iſta vera ſunt non ſolum de iuramento promiſſorio, ſed etiam aſſertorio, & cominatorio proportionabiliter tamen loquendo &c.



QVÆ-

QVÆSTIO IX.

De subiecto tam effectiuo, quam præceptiuo iuramenti.

PRimò, diuiditur iuramentum in assertorium, & promissorium. Primum est de aliquo præterito, vel præsenti. Secundum de aliquo futuro. Vtrumque fit dupliciter, vel per simplicem attestationem, vel per execrationem.

Diuisio iuramenti.

Aliud assertorium circà præteritum & presẽs versans, aliud promissorium circà futurum.

Secundò, diuiditur in illud, quod fit verbis tantum. Quod aliqua actione exprimitur; & in illud, quod fit actione, & verbis: putà tangendo Euangelia, & dicendo, iuro per hæc sancta Dei Euangelia.

Aliud fit verbis tantũ aliud actione, & verbis.

Tertiò, diuiditur in iuditiale, & extraiuditiale. De multiplici diuisione iuramenti iudicialis, videantur Iurisperiti, & in op. pag. 60.

Aliud iuditiale, aliud extraiuditiale.

ARTICVLVS I.

Quinam sint, qui possunt iuramentum præstare.

Antè pubertatem quis cogi nō potest ad iurandum.

PRimò, Pueri antè annos pubertatis, non possunt cogi adiurandum c. parvuli, & can. pueri 22. quæst.5. Si tamen iurent, siuè in iuditio, siuè extrà habentes vsum rationis, verè iurant. de delict. punien. cap. 1. D. Tho. 2. 2. q.89. art.10. ad lit.

Ad verum iuramentū requiritur vsus rationis.

Secundò, Periuri in iudicio conuincti non admittuntur ad iurandum; nisi tamen fuerit remota ab eis infamia. D. Tho.2.2. q.89. art. 10.

Nec viri insigni dignitate fulgentes.

Tertiò, Homines in magna dignitate constituti, non possunt cogi ad iurandum, quia de eorum veritate dubitari non debet. D. Tho. 2.2. q.89. art.10.

Nec sacerdotes, & Ecclesiastici possunt cogi iurare corā laico.

Quartò, Sacerdotes, & Ecclesiastici non possunt cogi ad præstandum iuramentum coram Iudice Laico; can. Nullus 1. 22. q.5. & hoc intelligitur sinè licentia suorum Prælatorum. Prælati autem in sex casibus debent hanc licentiam dare, & his carminibus exprimuntur.

Pax,

Pax, fama, fides, reuerentia, cautio damni,
Deffectus veri, sibi possunt magna caueri.

Casus.

Didacus Ecclesiasticus ad instar secularium in communi sermone pro leui causa iurat.

Casus De Ecclesiastico etiam pro leui causa iurāte.

Quæritur an gravius peccet, quam laicus.

Resp. affirmatiuè; tum quia alios scandalizat, & ad malum inducit suo exemplo: tum quia hoc eis spetialiter prohibetur. 2. q. 4. c. Si quis, Tabien. D. Antonin. &c. pag. 61.

ARTICVLVS II.

An liceat aliquandò inducere alterum ad iurandum.

Resp. SIc; etiam extra iudicium, & hoc non est peccatum; est tamen humana tentatio, quia procedit ex infirmitate, qua dubitamus proximum esse verum dicturum.
D. Tho. 2. 2. q. 98. art. 4. in corp.

Licet inducere alium adiurandū.

Casus

Casus.

Casus *De eo, qui vrgente necessitate inducit alium iurare, quē scit est dispositum ad iurandum falsum.*

Thomas vrgente necessitate deberet inducere Antonium ad iurandum in iudicio. At Thomas scit eum esse dispositum ad falsè iurandum.

Quæritur an adhuc possit eum ad iurandum inducere?

Resp. affirmatiuè, vrgente tamen necessitate; quia non induceret Antonium ad falsè iurandum, sed ad iurandum: eò prorsùs modò quo dicitur de eo, qui accipit in casu necessitatis vsuram ab eo, qui semper paratus est vsuram dare. Syluest. verb. Iur. 2. §. 9. Angel. &c.

An sub dubio, quempiam iuraturum falsum, & sine adeo vrgenti necessitate liceat inducere ad iurandum.

Sed quid si dubitatur solum de hoc, & non est tam vrgens necessitas?

Resp. quod si dubium magis inclinat in partem affirmatiuam, quam negatiuam, ille, qui sic inducit peccat mortaliter. Si autem dubium magis inclinet in negatiuam, tunc licet iuramentum exigere. Si denique dubitans sit tantum perplexus, potest exigere iuramentum; quia semper iudicandum est bonum de proximo. Syluest. verb. Iur. 2. q. 9.


An liceat inducere idolatram adiurādū?

Quid denique si iuraturus sit Idolatra; licebit nè inducere eum ad iurandum per suos falsos Deos?

Resp. quod absolutè, & absque vrgente necessitate non licet iuramentum

ab

ab Idolatra per falsos Deòs exigere: benè tamen si vrgens esset necessitas, & Idolatra semper esset paratus per suos falsos Deos iurare. D. Tho. 2. 2. q. 98. art. 4. pag. 62.



QVÆSTIO X.

De obligatione iuramenti.

Correspondet art. 7. quæst. 88. D. Tho. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

An iuramentum habeat secum ferre obligationem, & quamnam &c.

Resp. QVod si res, quæ iuratur sit grauis obligat ad sui obseruationem sub mortali. D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 7.

Iuramentũ de re graui sub mortali obligat secùs de re levi.

Si autem sit leuis, & hæc tota materia

teria iuramenti, discurrendum est sicut suprà de votis factis in materia leui &c.

In hac tamen materia duplex est sententia, vna, quæ dicit esse mortale. Caiet. Tolet. Valent. Lessius &c. Altera, quæ dicit esse tantum veniale. Nauarr. Soto, vtraque probabilis. Sed adhuc pro hoc

Casus I.

Casus. De muliere iurante se grauiter puerum percussurum, nisi à fletu desistat.

Cneia videns puerum plorantem iurat eum percussuram grauiter, si non desistat à fletu.

Quæritur an peccet hoc iuramentum non obseruando?

Resp. negatiuè: quia cùm huiusmodi iuramentum communiter fiat ex passione iracundiæ, vndè potiùs induit rationem paruæ vindictæ, quam correctionis, & consequenter punitio promittitur sub ratione mali, ideò non potest obligare. Caietanus &c. Meo tamen videri semper venialiter sic iurantes peccant; dummodò eius passionis motus non esset primò primus.

I I.

Cæsar, & Antonius nobiles existentes simul in domo, cum ad ianuam eius peruenerint, vt vnus alium præcedat, contendunt; ad inuicem iurantes se non præcessuros in exitu domus.

Casus De inuicem iurantibus in materia precedẽtiæ.

Quæritur an peccent, & teneantur iuramentum obseruare?

Resp. peccare venialiter propter indiscretionem; huiusmodi enim iuramenta dicuntur à Caietano indiscreta. Non tamen tenentur ad seruandum iuramentum, quia eorum voluntas non est absoluta, sed solum conditionata; scilicet quantum est ex me. Cuiusmodi fuit iuramentum D. Petri dicentis Christo Domino: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Io: 13.

Casus in quibus iuramentum promissorium non obligat videas in opere n.6. pag.63.

Casus non obligantes in iuramento promissorio cõstãt in oper.



ARTICVLVS II.

Vtrum iuramentum coactè factum ad sui obseruationem obliget.

Iurans coactè rem licitam tenetur in foro interno implere iuramentum, secùs in foro externo.

Resp. QVod si illud, quod iuratur coactè, sit licitum, in conscientia tenetur iurans ad iuramentum implendum. Sic statuit Alexander Papa Secundus, c. si vero, de iure iurando.

In foro tamen externo non habent vim obligandi, vndè nec datur actio in iuditio contrà talem sic iurantem. pag. 63.

D. Tho. 2, 2. quæst. 89. art. 7. ad 3. ad litt.



AR-

ARTICVLVS III.

De conditionibus necessariò requisitis, vt iuramentum obliget.

SExdecim sunt conditiones iuramenti. Prima, si superiori placuerit. 2. si res in eodem statu permaneat. 3. si seruetur iuramenti promissum. 4. si res sit honesta, & possibilis. 5. si iuraui reddere pecuniam, intelligitur, si fuerit mihi numerata. 6. Si iuro dare dotem filiæ, intelligitur si nupserit. 7. si iuraui stare præceptis alicuius, intelligitur, si sint moderata. 8. si facultas subsit. 9. nisi præceptum superioris interdicentis interueniat. 10. cum eadem qualitate. 11. cum bona fide. 12. saluo iure. 13. nisi fuero absolutus ab eo, cui iuraui. 14. nisi quid turpe interuenerit. 15. de persona in eodem gradu manente. 16. nisi in meliùs commutetur. Vide plura in opere. pag. 64.

Conditiones necessariò requisitæ vt iuramentũ habeat vim obligandi.

ARTICVLVS IV.

In quo multa dubia resoluuntur ad obligationem iuramenti pertinentia.

Casus I.

Casus De eo, qui iurat se non euasurum de carcere aperto.

CAius existens infirmus in carcere, vt possit meliùs se habere, & à parentibus, & amicis inuisi quærit carcerem ampliorem, & apertum iurans non fugere de eo.

Quæritur an teneatur iuramentum obseruare?

Resp. affirmatiuè; etiamsi causa mortis ibi detineretur; dummodò tamen non esset carcer alicuius Tiranni, putà Turcarum &c. ex Panor. &c.

Videatur opus n. I. p. 65.

II.

Casus De nouo feudatario in iuramento, quod Cæ.

Tindarus Marchio assumens feudum iurat Imperatori, & successoribus eius, obligans se, & successores suos in perpetuum &c.

Quæ-

Quæritur an iuramentum teneat quoad successores.

sari, et Successoribus præstat, se & Successores suos in perpetuum obligante.

Resp. quod licet ille teneatur ex vi iuramenti ad successores Imperatoris absque alio nouo iuramento; non tamen successores eius tenentur ex vi talis iuramenti; vndè si volunt adhuc in feudo permanere tenentur ad aliud iuramentum præstandum. Debent tamen adhuc antè iuramentum obseruare promissa realia, quæ transeunt, sicut diximus de voto.

III.

Casus De Procuratore iurãte pro suo principali.

Curtius Cneij Procurator præstat iuramentum pro Cneio.

Quæritur an Cneius teneatur iuramentum obseruare.

Resp. quod si Cneius dedit illi spetialem facultatem adiurandum prò eo, tunc tenetur iuramentum obseruare, ac si ipse iurasset, secùs tamen si hanc facultatem non dedit &c.

De iuramẽtis Vniuersitatum vide in opere.

Circà iuramenta vniuersitatum videatur opus pag. 65.

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

De dispensatione, commutatione, & irritatione iuramenti.

Correspondet art. 9. quæst. 89. D. Tho. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

An in iuramento possit fieri dispensatio, commutatio, & irritatio.

In iuramẽto potest fieri dispensatio, commutatio, & irritatio.

Resp. SIc: & aliquandò est necessarium propter mutationem rei. Et hoc verum est loquendo de iuramento promissorio Si enim loquamur de iuramento assertorio, cum eius mareria sit immutabilis, vtpotè præterita, vel præsens, in ipso non potest cadere dispensatio. pag.67. D. Tho. 2. 2. q.89. art.9.

Casus

Casus.

Tiburtius iurauit dare decem Sempronio; qui cum alia decem debeat Tiburtio.

Casus De iurante dare decem v. g alicui, qui & alia decem debet iuranti.

Quæritur an possit fieri compensatio?

Resp. duplicem esse sententiam, & utramque probabilem, unam scilicet affirmantem, alteram verò negantem. Meo videri possunt conciliari, dicendo quod ex post facto vera est prima opinio; verum antè factum debet sequi secunda. Tabien. verb. Iurare §. 24.

ARTICVLVS II.

Quinam possint in iuramento dispensare, commutare &c.

Resp. QVod omnes illi, qui possunt in voto dispensare, possunt etiam in iuramento, si hoc habeant ex propria auctoritate; nam si hoc haberent ex privilegio, & in ipso solum nominaretur votum, non possunt dispensare in iuramento cum diffe-

Qui ex propria auctoritate, & non ex privilegio tantùm, dispẽsare possũt in voto, pos-

sunt etiam in iuramento. differant spetie. Nauar. in Man. c. 27. num. 273. Quamuis Sairus, & alii teneant oppositum, & probabiliter.

Multò magis iuramēta commutare possūt. Qui autem possunt in iuramento dispensare, multò magis possunt ea commutare. Caiet. 2. 2. quæst. 88. art. 12. &c.

Superior potest subditi iuramentum in eo in quo sibi subiacet, irritare. Denique quilibet habens dominium super alios potest illorum iuramenta irritare, in his, in quibus illis subiiciuntur. D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 9. ad 3.

Hæc tamen vera sunt, si iuramentum tantum concernat fauorem iurantium. Nam si essent in fauorem aliorum, putà iuramentum de re temporali præstanda; non potest dispensari, commutari, aut irritari, nisi de consensu illorum, in quorum fauorem sunt facta.

Videantur plura scitu necessaria in opere pag. 68.



QVÆ-

QVÆSTIO Vltima.

De adiuratione, periurio, nec non superstitione.

Continet q.90.92. 93. 94. 95. 96. & 98. D.Tho. in 2.2.

ARTICVLVS I.

De Adiuratione.

ADiuratio est licita: ex Sac. Script. Apost. ad Rom. 12. & ex vsu Ecclesiæ sit inducendo creaturam ad aliquid faciendum, vel non faciendum ex invocatione alicuius rei sacræ. *Licita est adiuratio. Quomodo fiat.*

Dirigitur ad homines, ad dęmones, & ad creaturas irrationales. *Ad quæ dirigatur, & quomodo.*

Ad homines fit adiuratio ad inducendum; non autem ad necessitandum, nisi sit subditus. D. Tho. 2. 2. q. 90. art. 1.

Ad dęmones fit per modum compulsionis; ne nobis, vel alijs noceant corporaliter, vel spiritualiter. D.Th. 2.2. q.90. art.2.

Ad creaturas irrationales non fit absolutè; sed solum referendo eam ad motorem earum: qui si sit Deus dicitur deprecatio; si sit diabolus dicitur exorcismus. pag.99.

D. Tho. 2. 2. q.90. art. 3.

ARTICVLVS II.

De Periurio.

Definitio periurii.

DEfinitur mendacium iuramento firmatum. Magist. sent. in 3. dist.39.

De se est mortale. Aliquandò potest esse veniale.

De sui ratione non solum est peccatum, sed etiam mortale: ex D. Tho. 2. 2. q. 98. art. 2. & 3. Aliquando autem potest esse veniale, vndè dico

Periurium assertorium præcisa actus imperfectione, semper est mortale.

Primò, quod periurium assertorium siuè in materia graui, siuè leui est mortale; dummodò imperfectio actus ipsum non excuset. D. Tho. 2.2. q.98. art.3. ad 2. & ad hoc facit prop. dam. ab Innoc.XI. n.24.

Secundò, Periurium promissorium de præsenti, quod incurritur ex defectu veritatis in iuramento est mortale. D. Tho. 2.2 q.89. art.7.

Tertiò, Periurium promissorium, quod incurritur ex defectu iustitiæ in iuramento, si sit de mortali erit mortale; si de veniali veniale. Caiet. 2.2. q.89. art. 7. & in sum. &c.

Quar-

Quartò, Periurium promissorium de futuro, quod oritur ex inobservantia rei promissæ semper est mortale; exceptis casibus suprà positis q. 10. a. 1. Videantur.

Casus I.

Casus De eo, qui iurat absq; necessitate.

Sempronius interrogatus num Antonium viderit transeuntem, iurat absque vlla necessitate, se non vidisse; cum tamen ità sit

Quæritur an peccet mortaliter?

Resp. cum distinctione, nam si hoc faciat in contemptum Dei, certè peccat mortaliter. Si autem hoc solum faciat ex leuitate solum peccabit venialiter: & hoc est quod dicitur Eccl. 13. *Iurationi non acquiescat os tuum, multi enim casus in illa.*

II.

Casus De eo, qui sæpe audit alium peierantem, & sciens esse denunciandum, adhuc illũ non denunciat.

Tiberius audit quotidiè Antonium peierantem; & cum adsit decretum, huiusmodi debere iudici denuntiari, hoc sciens Tiberius non facit.

Quæritur an peccet?

Resp. affirmatiuè: dicitur enim Leuitici 5. *Anima, quæ audierit vocem iurantis, quem nouit falsum iurare, nisi indicauerit rea erit peccati.* Cætera vide in op. pag. 71.

ARTICVLVS III.

De Superstitione.

Definitio superstitionis.

De se est mortale.

Eius species

DEfinitur, quædam protestatio Infidelitatis per aliqua exteriora signa. D. Tho. 2. 2. q. 92. art. 1.

De se non solum est peccatum, sed vlterius peccatum mortale; quia contrà præclarissimam virtutem Religionis &c.

Quatuor sunt eius species; scilicet cultus Dei inordinatus, Idolatria, diuinatio, & obseruatio vana.

Prima est duplex, pernitiosa, & superflua. Pernitiosa tunc fit, quandò contrà fidei veritatem exercetur. Superflua quandò fit vltrà rubricas, & ritus Ecclesiarum.

Casus.

Casus De Sacerdote faciente multa contrà Rubricas in celebratione Missæ.

Baldassar Sacerdos in celebratione Missæ multa facit contrà Rubricas.

Quæritur an peccet, & quomodò?

Resp. quod si hoc faciat in minimis, absque contemptu, & scandalo peccat solum venialiter. Si autem faceret hoc in rebus notabilibus cum scandalo, & contemptu, tunc certè peccaret

caret mortaliter, non quidem ex se, sed ratione adiunctorum.

Idolatria definitur cultus, quo divinus honor tribuitur creaturæ alicui sicuti Deo. D.Tho. 2.2. q.94. art.1.

Definitio Idolatriæ.

De se est peccatum mortale, immò grauissimum peccatorum secundum grauitatem ex parte peccati consideratam. D.Tho.2.2.q.94. art.3.

De se est mortale, & peccatorũ grauissimũ.

Casus.

Firmius proponit hostiam non consecratam populo adoranda prò consecrata.

Casus De eo, qui proponit hostiam non consecratã pro cõsecrata populo adorãdam.

Quæritur an tam ipse, quam populus idolatriam committat?

Resp. quod Firmius quidem Idolatriam committit, etiamsi ipse hostiam non adoret, quia quantum est de se facit populum Idolatrare. Populus tamen non est idolatra; quia licet materialiter adoret hostiam non consecratam, tamen formaliter Christum adorat, putans hostiam esse consecratam. pag.73.

D. Tho. quodlib.5. q.6. a.2.

Divinatio est quædam præcognitio, seu pronuntiatio futurorum euẽtuum, seu effectuum ex falsa, & vana opinione, ac per consequens consilio, vel auxilio dæmonis tacitè, vel expresè inuocato.

Quid sit divinatio.

Semper est mortale. De se semper est peccatum mortale contrà præceptum Dei Deut. 18. *Non sit, qui consulat diuinos.* Immò grauissimum, quia vsurpat sibi, quod Dei est proprium, & quia auxilium, & consilium quærit à dæmone.

Huius tres sunt species, Negromantia, Augurium, & Sortes.

De quibus videatur opus, in quo sunt plura &c. pag. 74.

Quid sit obseruatio vana. Obseruatio vana tunc est, quandò adhibentur media nullam vim ad producendum effectum habentia. Et in hac demon tacitè inuocatur.

Quotuplex sit. Triplex: prima dicitur ars notoria. Secunda, obseruantia sanitatum. Tertia, obseruantia falsarum Reliquiarum, vel etiam verarum cum aliqua tamen circumstantia vana. De his D. Tho. 2. 2. q. 96. per totam.

Videantur pulcherrima circà hoc in opere. pag. 76.

Aduertè hic vanas, & superstitiosas esse obseruationes muliercularum, de quibus plenus est mundus; cum multis orationibus alias optimis, qui tamen vanis permiscentur &c. Si ergò hæc præcisè non dicantur, vel deferantur ex reuerentia Dei, & Sanctorum, sed ad alium finem superstitiosæ fiunt &c. D. Tho. 2. 2. q. 96. art. 4.

TRA-

TRACTATVS VNDECIMVS.

De Blaſphemia.

Super 2. Præceptum Decalogi.

Continet quæſt. 13. & 14. D. Tho. in 2. 2.

QVÆSTIO I.

De Blaſphemia.

Continet q. 13. D. Tho. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

Quid ſit Blaſphemia.

Deſinitio blaſphemiæ

DEfinitur, aliquid iniurioſum tacitè, vel expreſsè; ore, vel corde; verbo, vel ſcriptis contrà Deum, & Sanctos; quod fit vel tribuendo Deo, quod illi non conuenit; vel auferendo ab eo, quod illi conuenit; vel Tribuendo Creaturæ, quod

solius Dei est proprium. pag.78.
D. Tho. 2. 2. q. 13. art. 1.

Casus I.

Casus
De eo, qui vocat Deũ acceptatorẽ Personarũ.

Caius cum multos labores faciat prò suis negotijs benè gerendis, & ea prò suo velle non succedant, ait Deum esse acceptatorem personarum, nec humana curare.

Quæritur an sit dicendus Blasphemus?

Resp. affirmatiuè: tribuit enim Deo, quod illi non conuenit. Nauar. in Man. cap. 12. n. 84.

II.

Casus
De Astronomo gloriãte se per propriam virtutem posse futura præcognoscere.

Tiberius Astronomus gloriatur se posse propria virtute ventura præcognoscere, & multoties in Natiuitatibus hominum faciendis hoc attentat.

Quæritur an sit Blasphemus?

Resp. affirmatiuè: quia sibi attribuit, quod solius Dei est proprium. Nauar. vbi suprà.

III.

III.

Tiburtius ad omnem verbum adhibens nomen Dei, dicit ad ſanguinem Dei, ad corpus Dei &c.

Caſus De eo, qui ad omne verbum dicit ad ſanguinem, ad corpus Dei.

Quæritur an ſit blaſphemus?

Reſp. quod licet grauiter peccet aſſumendo nomen Dei in vanum, & ſi hoc dicat in mendacio ſit periurus; non tamen poteſt dici blaſphemus; quia poſtquam Deus factus eſt homo hæc vera ſunt de Deo. Caiet. Nauar.

Suppoſito tamen, quod loquatur de Chriſto.

IV.

Cneius iurat per membra pudenda Chriſti &c. propria eorum nomina exprimendo.

Caſus De eo, qui iurat per membra pudenda Chriſti.

Quæritur an ſit blaſphemus?

Reſp. affirmatiuè: etiam ſi hoc non faceret ex contemptu. Nauar. poſt Ang.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit Blasphemia.

Variæ divisiones blasphemiæ.

PRimò, diuiditur in blasphemiam, vt sic, & blasphemiam in Spiritum Sanctum.

Secundò, in blasphemiam cordis, & oris.

Tertiò in eam, quæ respicit Deum; quæ respicit B. Virg. & quæ respicit Sanctos.

Quartò in eam, quæ oritur ex passione, ex consuetudine, & ex affectu detestatiuo, scilicet ex malitia.

Quintò, in publicam, & priuatam.

Sextò in hæreticalem, & non hæreticalem: huius notanda est differentia.

Hæreticalis est illa, quæ contrà fidei articulos verba profert; v. g. si quis dicat Deum non posse mundum facere; quod est contrà primum &c.

Non hæreticalis, quæ fidei articulis non obuiat quoquomodò; vt si quis dicat, se nolle Deo gratias agere.

De blasphemis hæreticaliter vide in opere magno.

Circà blasphemos hæreticaliter, an sint iudicandi hæretici, aut de hæresi suspecti videatur opus. pag. 78.

Videatur prop. damn. ab Alex. VII. num. 5.

ARTICVLVS III.

Vtrum Blaſphemia ſit peccàtum mortale.

Reſp. SIc: immò omnium grauiſſimum ex ſuo genere. p. 80. D. Tho. 2. 2. quæſt. 13. art. 2. & 3. ad lit.

Licèt blaſphemia ex genere ſuo ſit mortale peccatum tamen in aliquibus caſibus non eſt tale.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus non eſt mortale.

Caſus I.

Petrus maxima obcecatus ira blaſphemiam profert in Deum, neſciens quid dicat.

Caſus De eo, qui nimia ira obcæcatus blaſphemat in Deum.

Quæritur an peccet mortaliter.

Reſp. negatiuè; quia eſt ſolum blaſphemia materialis; vndè ſolum erit veniale.

II.

Casus De eo, qui cum audierit blasphemare, et ipse leuitate ductus talia profert, absolutè nesciens quid dicat.

Berta audiens patrem suum blasphemare, ex leuitate etiam ipsa talia verba profert, nesciens tamen quid dicat, nec huiusmodi verba intelligens.

Quæritur an peccet mortaliter?

Resp. negatiuè: quia huiusmodi suæ blasphemiæ non aduersantur Confessioni fidei.

III.

Casus De eo, qui sæpiùs blasphemat ex cōsuetudine orta ex actibus indeliberatis, & inaduertēter factis.

Blasphemia aliquādo est culpa solum venialis.

Ex voluntatis indeliberatione, secùs autem ex paruitate materiæ, hæc enim in ipsa non datur.

Gaspar ex praua consuetudine orta ex actibus indeliberatis, & animo inaduertente blasphemat multoties.

Quæritur an peccet mortaliter?

Resp. negatiuè, ex D. Tho. 2. 2. q. 13. art. 2. ad 3. Secùs tamen esset discurrendum, si consuetudo esset introducta per actus aduertenter factos; de quo pulcra videas in op. pag. 81.

Ex quibus clarè patet, quod blasphemia potest esse peccatum veniale ex indeliberatione voluntatis proferentis; non autem ex paruitate materiæ, quæ in ipsa non datur. p. 84.

D. Tho. 2. 2. q. 13. art. 2. ad 3.

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum, & quænam blaſphemia ſit caſus reſeruatus.

BLaſphemia de ſe non eſt caſus reſeruatus. Nauar. Tolet. &c.

Poteſt tamen reſeruari; loquendo tamen de Blaſphemia oris: & hoc communiter faciunt Epiſcopi; reſeruando tamen blaſphemiam oris Publicam, & ex conſuetudine.

Blaſphemia oris præſertim publica & ex conſuetudine communiter eſt caſus reſeruatus.

Blaſphemia cordis non poteſt reſeruari; licet enim ſit vera blaſphemia; tamen quia reſeruatio eſt actus Eccleſiaſticæ poteſtatis, & hæc eſt ſolum de exteriori, ideò blaſphemia cordis, quæ eſt actus internus, non poteſt reſeruari. Videatur opus. pag. 83.

Blaſphemia cordis nec eſt, nec poteſt fieri caſus reſeruatus.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

De Blasphemia in Spiritum Sanctum.

Correspondet q. 14. D Tho. 2. 2.

ARTICVLVS I.

Quid sit peccatum in Spiritum Sanctum.

Quando cōmittatur peccatū in Spiritum Sanctum.

PEccatum in Spiritum Sanctum tunc fit, quandò quis peccat ex certa malitia contemnendo, & abiiciendo ea, quæ possunt retrahere à peccato; & præcipuè si vsque ad impœnitentiam finalem pertingat. p.84.
D. Tho. 2. 2. q. 14. art. 1. in corp.

AR-

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit peccatum in Spiritum Sanctum.

SEx sunt species peccati in Spiritum Sanctum oppositæ quinque Donis eius. *Eius species.*

Prima, est desperatio, & est actus contrà spem, quæ consurgit ex misericordia Dei.

Secunda, est Præsumptio, & est actus contrà timorem diuinæ Iustitiæ punientis.

Tertia, est impugnatio veritatis agnitæ: & fit, dum quis talem veritatem impugnat, vt liberiùs peccet.

Quarta, est inuidentia fraternæ charitatis; & fit, dum aliquis non solum inuidet personæ fratris, sed etiam gratiæ, &c. seminando errores, & instigando homines ad malum.

Quinta, est impenitentia finalis, & horitur ex permanentia in peccato vsque ad mortem.

Sexta, est obstinatio; & fit quandò homo firmat propositum suum in hoc, quod peccato adhæreat. p.85.


ARTICVLVS III.

Vtrum possit quis primo peccare in Spiritum Sanctum.

Quandò potest quis in primo peccato peccare in Spiritum Sanctum.

Resp. QVod si hoc peccatum summatur pro habitu, semper alia supponit. Si summatur strictè pro contemptu eorum, quæ possunt retrahere à peccato; & loquamur communiter, & pro vt in pluribus euenire solet; priùs alia supponit. Si denique loquamur particulariter, potest aliquandò contingere, quod in primo peccato qu s excidendo à gratia peccet in Spiritum Sanctum. p. 86.

D. Tho. 2. 2. q. 14. art. 4. ad lit.




AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum peccatum in Spiritum Sanctum sit irremissibile?

Resp. SIc: loquendo de impenitentia finali. pag. 86. D. Tho. 2.2. q. 14. art. 3. ad lit.

Peccatum in Spiritum Sanctum prout dicit impænitentiam finalẽ est irremissibile.



QVÆSTIO III.

De Maledicentia, seu Maledictione.

Correspondet q. 76. D. Tho. in 2 2.

ARTICVLVS I.

De quidditate, & essentia Maledicentiæ.

DEfinitur, quod sit imprecatio, seu optatio alicuius mali contrà aliquem per verba expressa. D. Anton. 2. p. tit. 3. cap. 5.

Definitio maledicentiæ.

Non

Secundùm genus suum est peccatum mortale

Non solum de se est mala, sed peccatum mortale secundum genus suum pag. 88.

D. Tho. 2. 2. q. 76. art. 3. ad lit.

Aliquandò solùm veniale.

Aliquandò tamen potest esse veniale; quod vt videamus sit

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit Maledicentia.

Quotuplex sit maledicentia.

Maledicentia in Deum, si fiat cum aduertentia, semper est peccatum mortale, & grauissimum; nec differt à blasphemia.

Maledicentia in Angelos, & Sanctos pariter est peccatum mortale.

Maledicere dæmonem prout creatura Dei est, est peccatum mortale.

Illum verò maledicere secundum suam culpam, nullum est peccatum: quia hoc nihil aliud est, quam eius culpam detestari.

Quale sit peccatum in singulis.

Maledicere creaturæ rationali de se peccatum mortale est, quia ad imaginem Dei est facta.

Dixi de se; quia si fiat ex subita ira in motu primo, vel detestando eorum culpas, nullum est peccatum. Et si fiat absque animi deliberatione, vt faciunt parentes ergà filios, tunc erit solum venia-


veniale, ex D. Tho. & ex D. August. relat. dis. 25. §. alias eadem &c.

Denique maledicere creaturæ irrationali secundum se solum est veniale. Si autem maledicantur prout creaturæ Dei, & in seruitium hominis erit mortale. pag. 89.

Videatur D. Tho. 2.2. q. 76. art. 2.

Ad hoc peccatum reducitur comixtio secularium, & profanarum Cantilenarum in diuino cultu. Qui enim hoc faciunt, nisi excusentur ab ignorantia inuincibili, peccant mortaliter.

Videatur decret. Conc. Trid. sess. 22. de obseruand. & vitandis in celeb. Missæ.



TRA-

TRACTATVS DVODECIMVS.

De tertio, & quarto Præcepto Decalogi.

Continet q.101. & art.4 & 5.q.122. D.Tho. in 2.2.

QVÆSTIO I.

De obseruatione festiuitatum.

Correspondet a.4.q.122.D.Th.in 2.2.

ARTICVLVS I.

De quidditate huius Præcepti.

Præceptum de obseruatione festorum obligat sub mortali.

DAtur præceptum de obseruatione festiuitatum nos obligans sub mortali. Ex prop. dam. ab Innoc. XI. n.52.

In generali nascitur ex lege naturæ, & ex-

Hoc præceptum prout sic, & in generali ellicitur è visceribus legis naturæ, nobis expressum à lege diuina inter præcepta Decalogi.

In

In particulari verò, quantum ad hos, vel illos dies obseruandos iniungitur solum nobis à iure humano, & Ecclesiastico. pag. 90. 91.

expressè iniungitur à lege diuina. In particulari iniungitur solùm à lege humana Ecclesiastica.

D. Tho. 2. 2. q. 122. art. 4. ad lit.

Sicuti etiam à consuetudine prescripta. Immò obseruatio festiuitatum plùs dependet à consuetudine patria, quam à iure, c. fin. de consf. tanta enim est vis consuetudinis præcipuè in obseruatione festiuitatum, vt magis quam alias vim legis habeat, d. 12. c. illud, & c. illa.

Imò & plùs etiam à patria consuetudine.

Videatur tamen de hoc Bulla Vrbani VIII. circà obser. festiuitatum. Quod vt clariùs fiat aliqua de consuetudine ponam.

Consuetudo est quoddam ius moribus illius introductum, qui auctoritate publica legem condere potest. Ioan. Andr. Ad hoc vt obliget requiritur.

Definitio consuetudinis.

Primò, quod sit rationabilis.

Secundò, quod sit obtenta per decem annos, si non sit lex in contrarium; si verò sit contrà ius requiritur vsus quadraginta Annorum, c. fin. de consf. lib. 6.

Huius conditiones requisitæ vt inducat obligationem.

Tertiò, quod sit inducta per certam scientiam, & non per errorem.

Quartò, quod illa res, quæ introducitur possit præscribi ab introducente consuetudinem.

Quintò, quod ex pluribus actibus, seu vsibus hominum introducatur.

Et Sextò, quod maior pars populi

vtatur illa consuetudine; quod loquendo in materia de obseruatione festiuitatum, intelligitur de clero cum certa parte populi. Panorm. in cap. conquestus. Vndè si Princeps mandet festum sinè Episcopo sub certa pœna, poterit quidem pœnam exigere, sed non obligare sub peccato, quia ad hoc requiritur auctoritas Eccles. Armil. verb. Cons. num. 1. Tab. Nauar. D. Antonin. 2. p. tit. 9. cap. 7. &c.

Casus.

Casus De eo, qui in die festo ex consuetudine loci, vbi habitat, audito sacro alibi vadit, vbi id festum non seruatur, & ibidem laborat, vt sibi victũ quærat.

Thomas, & Franciscus, vt laboribus suis victum sibi quærant, cum in loco, vbi habitant, seruetur festum ex consuetudine, quod in alijs locis non seruatur; quærunt sibi occasionem laborandi aliundè, & audito sacro de mane diei festi egredientes vadunt ad laborandum.

Quæritur an peccent?

Resp. negatiuè; dummodò hoc non faciant ex contemptu, & cum scandalo. Nauar. in Man. cap. 13. n. 5. infertur 6. pag. 91.

AR-

ARTICVLVS II.

De his, quæ iniunguntur in hoc præcepto.

IN hoc præcepto solum nobis iniungitur externus cultus, duo includens, vnum de affirmatiuo, & est audire sacrum; aliud de negatiuo, & est cessare ab opere seruili, de consec. dist. 1. can. Missas. & can. omnes fideles, c. ieiunia cum glos. & Archid. de consec. d. 3.

Sacrum audire, & opus seruile omittere in die festo tenemur, in quibus cultus externus fundatur.

Casus.

Sempronius audito sacro in die festo nihil aliud boni facit, sed totum aliud tempus expendit in solatijs &c.

Quæritur an peccet?

Resp. affirmatiuè secundum omnes, quia facit contrà finem præcepti: num autem peccet mortaliter, vel venialiter, diuisi sunt DD. Meo tamen videri debet dici, quod solum peccet venialiter iuxtà ea, quæ docet D.Tho. op. 6. de decem præcept.

Casus De eo, qui postquam in die festo sacrũ audiuit reliquum tẽpus in solatijs insumit.

ARTICVLVS III.

Quandò quis peccet contrà hoc præceptum.

Regulæ generales ad dignoscendũ, quandonã quis excusetur à peccato cõtrà hoc prę- ceptũ prout dicit cessazionem ab opere servili

LOquimur in præsenti de hoc præcepto prout negatiuo, & iniungit nobis cessationem ab opere seruili, de quo istæ dantur regulæ generales.

Prima est, vt diligenter inspiciatur operantis intentio.

Secunda, vt consideretur quantitas operis.

Tertia, vt considerentur causæ excusantes à peccato operantem in die festo, & hæ sex ponuntur, & sunt: Prima, seruitium Dei, vel Ecclesiæ. Secunda, Exercitium Spiritualium. Tertia si ea, quæ fiunt sunt ad salutem propriam necessaria. Quarta, quandò sunt ad salutem proximorum vtilia. Quinta, ad vitandum damnum sibi, vel proximo. Sexta, ex lucro transitorio, quod alio die haberi non potest; seruata tamen in hoc consuetudine Ecclesiæ, c. licet de feriis.

Et in hoc maximè inspicienda est necessitas, & paupertas operantium.

Casus

Casus I.

Sempronius aduocatus ad laborandum in die festo pro necessitate communi, putà ad reparandos argines fluvij, dum timetur inundatio; peracta operatione necessaria, & euacuato periculo, adhuc operatur per notabile tempus.

Casus De eo, qui in die festo postquã laborauit quã tũ opus erat ad subueniendum cõmuni necessitati, adhuc per notabile tempus operatur.

Quæritur an peccet?

Resp. affirmatiuè, & mortaliter: cum enim motiuum illius operationis fuerit communis necessitas, ipsa transacta, non debet amplius laborare; quod si hoc faciat, vtique peccat &c.

II.

Berta non habens vndè sibi victum procuret, nisi in die festo laboret, audito sacro, sicut in alio die laborat: puta eius operatio est lanam filare; per quam operationem decem solidos habet qualibet die, quibus vix per vnum diem suam vitam sustentare potest.


Casus De muliere, quæ non habens vnde se sustentet, nisi etiam diebus festis laboret, sacro audito hoc facit.

Quæritur an peccet sic operando?

Resp. negatiuè: eo quia nomine necessitatis in præsenti non solum venit necessitas extrema, sed et am grauis. Et certè si pauper potest laborare in die festo pro lucro habendo, quod alio die habere non potest, c. licet de feri s.

 Multò

Multò magis ad se sustentandum poterit Berta laborare. Sed de his fusiùs in op. pag. 97.



QVÆSTIO II.

De quarto Præcepto Decalogi.

Correspondet q. 101. & art. 5. q. 122. D. Tho. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

De quidditate huius præcepti.

Quartum Præceptum Decalogi, quod est de honorandis Parentibus Ad tria obligat filios.

HOc præceptum ad tria obligat filios ergà parentes. Primò ad eos diligendos. Secundò, ad obediendum eis. Et tertiò, ad subueniendum eis in necessarijs. pag. 98.
D. Tho. 2. 2. q. 101. art. 2. ad lit.

ARTICVLVS II.

Ad quas personas se extendat hoc præceptum.

NOmine parentum in hoc præcepto ex Con. Colon. primò veniunt hi, qui nos genuerunt, & omnes Cognati. Et secundò Gubernatores Patriæ cum omnibus superioribus nostris. pag.99.

Qui nam hic veniant nomine Parentum.

Casus I.

Petrus decreuit Religionem intrare, at illi parentes contradicunt propter necessitatem quam habent de auxilio filij.

Quæritur an adhuc possit Religionem intrare?

Resp. quod licet possit Religionem intrare inuitis parentibus, non tamen dum sunt in necessitate; tunc enim pietas impedit Religionem. D.Tho. 2.2.q.101.art.4.ad lit. pag.99.

Casus De fillo intendẽte Religionem intrare repugnantibus Parentibus & summoperè eiusdẽ auxilio indigentibus.

ARTICVLVS III.

Quandò quis peccet contrà hoc præceptum.

Modi, quibus filij grauiter delinquunt erga Parentes,

MVlti, & multis modis possunt contrà hoc præceptum peccare.

Et primò filij ergà Parentes grauiter eos odio habentes &c. in rebus magni momenti eis non obedientes: eos alicuius criminis (nisi tamen sit crimen hæresis, aut lesæ maiestatis) accusantes: eos taliter contemnentes, vt se pro eorum filijs haberi erubescant: & si in necessitate constitutos non subleuant. Videantur prop. dam. ab Innoc. XI. n. 14. & 15.

Modi quibus Parentes grauiter delinquunt erga filios.

Secundò, peccant parentes, qui notabiliter negligunt exhibere illa, quæ ad filiorum necessitatem spiritualem, vel corporalem pertinent, dummodò eos non excuset paupertas, vel alia rationabilis causa: c. duo ista, & c. non putes d. 32. q. 4. Sicuti qui ob auaritiam filios suos exponunt ad loca publica, cap. 1. & 2. de infan. expos. cum glos.

Item Mater, quæ filium proprio lactè non nutrit, vel negligit notabiliter seligere bonam nutricem, c. ad eius d. 5. & c. fin. de conuers. in fid.

Denique qui non vult filias adhuc spurias dotare, cum possit, cap. Cle-

rici

rici de Iudic. Quoad Spiritualia, peccant parentes, qui absque causa vota filiorum reuocant. Item, qui vi, vel dolo reuocant filium à Religione; vel qui vi filios Religionem faciunt intrare. cap. 1. de his, quæ vi &c.

Et denique qui patiuntur filias suas habere amatores ad malum finem &c.

Modi, quibus coniuges ipsi peccant contra hoc præceptum.

Tertiò, contra hoc præceptum peccant coniuges, dum cogunt alterum aliquod præceptum diuinum, vel Ecclesiasticum violare. Item qui alterum percutit, vel verbis iniuriosis impetit, vel prouocat ad blasphemiam &c. sciens ad hæc esse procliuem, c. fin. de Iur. iur. Denique peccat vxor, quæ marito est notabiliter inobediens, c. est ordo: & c. imago d. 33. q. 5.

Sicut servi, & subditi erga Dominos & Superiores suos.

Quartò, peccant serui, & subditi, qui non obediũt, & contemnunt, vel debitum honorem non præstant superioribus suis. Sicuti Dominus, & Superior, si notabiliter negligat, quæ concernunt suorum subditorum salutem. pag. 100.



TRACTATVS DECIMVSTERTIVS.

De Homicidio.

Super 5. Præceptum Decalogi.

Continet q. 64. & 65. D. Tho. in 2.2.

QVÆSTIO I.

De Homicidio.

Correspondet q. 64. D.Th. in 2.2.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquandò occidere liceat?

Quintum Decalogi Præceptum de non occidendo.

Resp. SIc; loquendo de persona publicam auctoritatem habente, & secundum ordinem iuris procedente, cui licet malefactorem occidere secundum iura. D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 2. ad lit. pag. 102.

AR-

ARTICVLVS II.

An liceat alicui priuatæ personæ peccatores occidere?

Resp. NOn: quia hoc ſolum permittitur habenti curam communitatis, iuxtà dicta. p. 103. D.Tho. 2.2. q.64. art. 3. ad lit. Quo tamen non obſtante adhuc ſit

Nulli priuatæ perſonę licet peccatorem occidere.

Caſus I.

Tiberius ſibi vſurpata Tyrannide ſuprà Communitatem, potentatus dominatione omnes ciues inſectat, vt eos perdat. Occurrit Tiberius Franciſco in loco anguſto, vndè vt libertatem communem vendicet Franciſcus Tiberium occidit.

Caſus De occidente Tyrannũ quærentem perditionem omnium ciuium.

Quæritur an Franciſcus peccet?

Reſp. negatiuè; eò quia huiuſmodi Tyrannum cuique occidere licet: vndè Iudic.3. Laudatur Aioth, qui peremit Eglon Tyrannum.

II.

Casus De interficiente publicum latronem concessa iam cuilibet à Principe facultate illum perimendi.

Adest latro infestissimus communitati. Princeps probato eiusdem delicto secundum ordinem juris eum poena capitali damnatum praescribit, facultatem faciens cuilibet eum perimendi. Latro occurrit Sempronio, & ab ipso occiditur.

Quaeritur an Sempronius peccet?

Resp. negatiuè; eò quia tunc vt Principis, & Iudicis minister operatur, vndè non potest dici priuata persona, c. prò humani de hom. voluntario in 6.

Alii sunt casus, quos videbimus infrà &c.

ARTICVLVS III.

An liceat in aliquo casu interficere innocentem.

Non licet interficere innocẽtem.

Resp. NOn: nullo modo: dicitur enim Exod. 23. *insontem, & iustum non occides*. D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 6. ad lit. pag. 104.

Sed sit casus per illustris.

Casus

Casus.

Tiburtius Iudex detinet in carcere Sempronium de crimine capitali accusatum. Ipse, vt persona priuata scit Sempronium esse innocentem; tamen secundum allegata, & probata cognoscit eum reum.

Casus De Iudice cognoscente aliquẽ reũ criminis capitalis secundùm allegata & probata, quẽ tamen per scientiam priuatam certò scit esse certum.

Quæritur an possit eum absoluere, vel debeat illum condemnare?

Resp. quod quamuis in hoc casu triplex sit sententia, vt videri potest in opere pag. 104. Tamen adhuc

Dico, quod iudex debet Sempronium, vt reum condemnare; quia cognitionem, quam habet vt persona priuata non obuiat veritati cognitæ, vt persona est publica. Cum ergò Reum damnet vt persona publica, vti etiam debet iudiciali cognitione.

D. Tho. 2. 2. q. 67. art. 2. ad lit. & plures alii. Videantur in op. p. 104.

Casus De Iudice habente æqualẽ sciẽtiam practicum de innocentia, ac habet per allegata de reitate alicuius.

Sed quid, si iudex haberet equalem scientiam nempè practicam de innocentia Sempronii, ac habet per allegata de sua reitate. V. g. Iudex egressus è domo noctis tempore, vt circumeat Ciuitatem, videt propriis occulis Paulum occidere Antonium. Facta perquisitione diligenti, constat in processu Antonium fuisse occisum à Sempronio, tum propter inimicitiam, rixam, & co-

minationem præcedentem, tum quia multis constat ipsum illa nocte eum expectasse in tali loco. Quid tunc facere debet Iudex?

Resp. quod debet renuntiare iudicio, & remittere causam ad iudicem superiorem; quod si ipse sit supremus, tunc adhuc debet reum secundum allegata, & probata condemnare, & tunc ipse non occidit innocentem, sed illi, qui asserunt nocentem.

Videatur D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 6. ad 3. pag. 105.

ARTICVLVS
Vltimus.

An liceat alicui seipsum occidere.

Nullo pacto licet interficere seipsum.

Resp. NOn: & qui hoc faceret grauissimi delicti reus esset. pag. 105.

D. Tho. 2.2. q.64. art.5. ad lit.

QVÆSTIO II.

In qua exponuntur aliqui casus, in quibus alium occidere non imputatur ad peccatum.

Casus in quibus homicidium non imputatur ad peccatum.

Correspondet art. 7. & 8. quæst. 64. D. Tho. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

De Homicidio casuali.

HOmicidium casuale aliquandò potest esse mortale peccatum, aliquandò veniale, aliquandò nullum: pro quo sequentes regulæ ponuntur.

Regulæ ad dignoscendum, quandonam homicidiū casuale sit mortale, quando veniale, & quādò nullum peccatum.

Prima est: dans operam rei licitæ si occidit præter intentionem alium, non adhibita debita diligentia peccat magis, vel minùs secundùm negligentiam maiorem, vel minorem, quam habuit, c. Presbyterum, & c. continebatur, & c. ad audientiam de homicid. Si autem adhibuit diligentiam, aut illa non erat necessaria, tunc non peccat, c. lator. eod. tit.

Secunda, dans operam rei illicitæ si aliquem præter intentionem occidit, etiam

etiam si diligentiam adhibeat peccat peccato homicidij, cap. suscepimus, cap. de cætero, &c. de homicid. & tunc grauitas peccati desumitur ex quantitate rei illicitæ. Et hæc quantum ad commiss. quantum verò ad ommiss.

Tertia, qui ommittit aliquid, quod ex justitia tenebatur facere, & est in causa, vt alterius mors sequatur peccat tanto peccato, quanta est illa ommissio.

Quarta, qui ommittit aliquid, ad quod ex charitate tenebatur, si ex tali ommissione alter obiit, peccat pariter iuxtà grauitatem ommissionis.

Videatur D. Tho. 2. 2. quæst. 64. art. 8. Prop. damn. ab Innoc. XI. n.34. Et plura pulcra in op. pag. 107.



AR-

ARTICVLVS II.

An ille, qui se deffendendo alterum occidit, peccet?

Resp. NOn: si intendat solum se deffendere, & alterum non occidere, & fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. pag. 108.

Occidens alium præcisè sui defensionem intendens, cum moderamine &c. non peccat.

D. Tho. 2.2. q.64. art.7. ad lit.

Et hoc verum est loquendo de diffensione propriæ vitæ.

Videantur prop. dam. ab Alex. VII. n.18. & ab Innoc. XI. n.30.

Loquendo verò de defensione honoris, licet possit cum moderamine vim vi repellere, numquam tamen inuasorem occidendo.

Pro defensione honoris nunquam licèt occidere.

Videantur prop. dam. ab Alex. VII. n.17.18.19. & ab Innoc. XI. n. 30.

Denique loquendo de defensione bonorum temporalium, si sint magni momenti, & aliter talia bona seruari non possint, vel recuperari, tunc furem occidere, licet; Quæ omnia æquè valent de defensione proximi innocentis, & rerum eiusdem, ex glos. in Clem. 1. de homicid. &c.

Licet furem occidere in defensionem bonorum magni momenti, & quæ aliàs seruari, vel recuperari non possunt.

Videantur prop. dam. ab Innoc. XI. n.31.32. & 33. pag. 109.

QVÆ

QVÆSTIO III.

De his, qui periculo mortis suam vitam exponunt.

ARTICVLVS I.

De his, qui in bello se exponunt periculo mortis.

Licet cuique in bello iusto vitam suam exponere.

Vide opus magnum.

QVando bellum est iustum licet cuique in eo, periculo mortis suam vitam exponere.

Videatur opus, in quo hæc materia diligenter pertractatur. p.110.111. & 112.



AR-

ARTICVLVS II.

De his, qui in duello vitam suam periculo mortis exponunt.

DVellum non est licitum, nisi in duobus casibus.

Duellum non licet nisi in sequentibus duobus casibus.

Primus est: quandò pars habens bellum iustum videt, se aliter succumbere, nisi bellum iustum resoluat in duellum.

Secundus, quandò alicui amputandum esset membrum, vel vita abripienda per sententiam judicis iniustam, nisi cum accusatore duellum committeret. Ità ex Constit. Apost. Greg. XIII. quæ incipit: Ad tollendum: & Clem. VIII. quæ incipit. Illius vices:

Et ideò, qui præter hos casus duellum committeret peccaret mortaliter, sicuti omnes cooperantes, & sunt excommunicati ex dictis Constit.

Videatur prop. dam. ab Alex. VII. n.2. & multa pulcra in opere. p.113.

ARTICVLVS III.

De multis aliis, qui periculo mortis suam vitam exponunt.

NOn licet se exponere mortis periculo in agitatione Taurorum, & aliarum ferrarum: ex Bulla Pii V. quæ incipit: De salute gregis &c.

Non licet Funambulis se super fune exercere nisi sufficienti velocitate & viribus polleant.

Funabulus, qui talibus, viribus, & velocitate non pollet, vt sine periculo talem iocum exercere possit; si adhuc periculo super funem se exponat, præcipuè in loco alto, vbi non potest vitare mortem si cadat, verè peccat peccato homicidij, ex Sylvest. verb Ars q. 8.

Similiter nec sumentibus venena ad experiendā Theriacam nō præmissis debitis diligentiis.

Qui sumit venena ad experiendam Theriacam, vel alia remedia; si hæc sint facta ab homine legali secundum Consilium plurium medicorum, & priùs in animali bruto sit factum experimentum, tunc non peccat; secùs tamen discurrendum est, si talia non sint remedia, nec adhibita sit huiusmodi diligentia.

Comedens, & bibens aliquid, quod scienter nocere potest, peccat.

Qui egrotus, vel sanus comedit, vel bibit aliquid, quod potest graue nocumentum illi inferre peccat mortaliter; si autem nocumentum sit leue solum peccabit venialiter.

Qui

Qui decurtat sibi vitam per abstinentias indiscretas peccat, & quidem mortaliter si nocumentum sit graue, venialiter verò si sit leve; dummodò tamen sciat, & aduertat esse indiscretas. De quo videatur D. Tho. 2. 2. q. 147. art. 2.


Decurtans sibi vitam abstinentiis immoderatis peccat.

Et quod diximus de actu debet etiam dici de affectu; non minùs enim prohibetur actus, per quem quis sibi malum infert, quam desiderium; & hoc non solum quoad se, sed etiam quoad proximum, de quo videatur prop. dam. ab Innoc. XI n. 13. 14 & 15. pag. 115.

Non solùm qui actu, sed etiam, qui affectu se exponit vitæ, aut notabilis mali periculo, sicut et proximi reus est peccati.

Atque hæc de hoc tract. dicta sufficiant.

Circà præceptum 6. Decalogi non mœcaberis videantur ea, quæ suprà diximus in tract. de Luxuria.



TRA-

TRACTATVS DECIMVSQVARTVS.

De Furto, & Restitutione.

Super 7. Præceptum Decalogi.

Continet q.62.& 66.D.Tho. in 2.2.

QVÆSTIO I.

De Furto.

Continet q. 66. D. Tho. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

De essentia, & quidditate Furti.

Deffinitio Furti.

DEffinitur, occulta acceptio rei alienæ. D.Tho. 2.2. q.66. a.4 Cui addunt moderni, iniusta, & inuito domino, vndè secundum ipso deffinitur iniusta, & occulta acceptio rei alienæ inuito domino. pag.116.

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrum furtum de se sit peccatum, & quale.

FVrtum de se non solum est peccatum, sed vlteriùs Mortale, si sit de re graui. pag. 117.
D. Tho. 2.2. q. 66. art. 5. & 6.

Furtum de re graui est mortale.

ARTICVLVS III.

Vtrum paruitas rei in furto excuset à peccato?

Resp. SIc: habito respectu ad qualitatem personarum, & absque praua intentione surripiendi maiora si posset.
D. Tho. 2.2. q. 66. art. 6. ad 3.
Videatur opus pag. 119.

Paruitas rei in furto secundum se excusat à peccato.

Casus

Casus I.

Casus De paupere qui extrà necessitatẽ surripit v. g. duo iulia, vt viuat, nolẽs alioquin potẽs laborare, vel mendicare.

Pauper extrà necessitatem degens surripit duo iulia, vt viuat, nolens sibi consulere ex operibus suis, vel mendicando.

Quæritur an peccet mortaliter.

Resp. multipliciter distinguendo; nam vel illa duo iulia surripit à Magnate, & valdè diuite; aut à mercatore, aut à paupere, qui victum operibus suis sibi quærit.

Secundò, aut surripit illa duo iulia, quia aliud prè manibus habere non potest, paratus surripere maiora, si posset.

Si ergò surripiat illa duo iulia absq; alia praua intentione, sed solum vt sibi victum procurret; & hæc à Magnate, seu à persona valdè diuiti, pugnate, dit ssimo Mercatore; tunc mortaliter non peccat; quia prout sic materia duorum iuliorum ab omnibus reputatur parua; dummodò tamen absit scandalum, & periculum magnæ perturbationis in domino.

Si autem hoc fiat praua intentione surripiendi maiora si posset, vel surripiantur à paupere, tunc erit peccatum mortale.

Videantur plura de hoc in opere pag. 119. & 120.

II.

II.

Tindarus Mercator habet in sua officina pondus alteratum, & mensuram alteratam: vndè surripit à quolibet accedente ad suum negotium vnum solidum plùs, vel minùs secundum quantitatem rei, quam vendit.

Casus De Mercatore utente ponderibus & mensuris alteratis, vt à quolibet emptore surripiat aliquid ultrà valorē rei.

Quæritur an peccet mortaliter, etiam antequàm perueniat ad notabilem quantitatem?

Resp. affirmatiuè; ex praua intentione: & ideò Prouerb. 11. dicitur: *statera dolosa abominatio est apud Deum*.

III.

Sempronia famula pluribus vicibus surripit à suis dominis vnum, vel alterum obulum; sicuti etiam plura esculenta, & poculenta paulatim ad vendendum, animo ditescendi.

Casus De famulo multis vicibus in re vel ære paucа surripiēte Dominis suis animo ditescendi.

Quæritur an peccet mortaliter etiam antequam perueniat ad notabilem quantitatem.

Resp. affirmatiuè; ex praua intentione, qua semper notabilem quantitatem intendit.

Sed quid, si intendat per hæc compensari in suis operibus?

Resp. hoc illam non excusare ex pro-

propos. damn. ab Innoc. XI. num. 87.

Casus De eodem talia surripiente, ut compensentur in suis operibus.

Quid vlteriùs, si vnum, vel alterum solidum sibi retineat in expendendo prò dominis, vicibus per aliquod tempùs disiunctis, & absque praua intentione?

Casus De eodem talia sibi retinente vicibus disiunctis absque praua intentione.

Resp. non peccare mortaliter, etiam dum peruenit ad notabilem quantitatem; quia cum ista non continuentur ex praua intentione, & in se non sint, nisi peccata venialia, numquam possunt efficere vnum mortale ex D. Tho. p. 2. q. 88. art. 4. tenetur tamen ad restitutionem dum peruenit ad notab. quant. vt dicemus.

Casus De seruo furante esculenta, vel poculenta ad edendum quamuis accipiat à Domino certam pecuniam pro expensis.

Quid denique si sibi summat esculenta, vel poculenta ad manducandum, & bibendum, & hoc in casu, quo Domini dent illi certam pecuniam pro expensis?

Resp. quod neque in hoc lætaliter peccat; quia Domini non supponuntur omninò inuiti, cum sciant, & non prohibeant. Si autem Domini expressè hoc prohiberent; & ipsa intenderet in hoc ditescere reserbando sibi numos pro victu sibi à Domino colatos, tunc absque dubio peccaret mortaliter, licet qualibet vice hanc malam intentionem non repeteret.

IV.

Berta vxor Sempronij ſæpè ſæpiùs furatur parua marito ſuo clam erubeſcens ea petere; quod videntes filij etiam ipſi hoc faciunt; vndè paulatim graue damnum domui infertur.

Caſus De vxore ſæpe ſæpiùs clàm parua furăte marito ſuo.

Quæritur an mortaliter peccet?

Reſp. quod ſi hoc faciat interruptis vicibus de rebus, ſinè mala intentione abſque dubio lætaliter non peccat; tum quia Maritus ſupponitur ſolum materialiter invitus; tum quia huiuſmodi furta ſic diſcontinuata non poſſunt lætalem culpam inducere, quamvis graue damnum efficiant; tenetur tamen ad reſtitutionem, vt dicemus infrà.

Si autem hoc fieret quotidiè, & animo notabiliter nocendi tunc peccaret mortaliter; & eo maximè in caſu ratione ſcandali, & mali exempli, quod filijs præbet.

V.

Casus De rustico furante in prædio sui Domini ligna ad se calefaciendum, vel fructus ad manducandum paulatim & sine damno arborum.

Cneius rusticus furatur in prædijs sui domini ligna ignaria in hieme ad se calefaciendum; & tempore æstatis uvam, & alios fructus ad manducandum paulatim, & sinè damno arborum.

Quæritur an peccet mortaliter, dum peruenit ad notab. quant.

Resp. negatiuè; dummodò tamen non sit partiarius, & non vendiderit totam struem lignorum, quæ illi contingit animo semper se calefaciendi ex lignis sic ablatis; sicuti etiam si uvam vendiderit, quæ illi in partem contigit, animo aliam furandi, vt exprimat, & dolium impleat; tunc enim absque dubio peccat mortaliter; ac si ipsa ligna, vel uvam summeret, vt venderet.

Non est eadem materia in furtis paulatim factis, ac si fiant simul.

Sed num eadem quantitas requiritur ad constituendam materiam grauem tam in furtis paulatim factis, quam si totum simul furetur?

Resp. negatiuè; in his enim furtis paulatim factis communiter DD. assignant materiam duplo maiorem: putà si materia prò furto simul facto, supponitur grauis si sint tria iulia prò furtis successiuè factis erunt sex: & hoc quia damnum est minùs sensibile &c.

Videatur opus, in quo plura circà hoc habebis. pag.121.

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum necessitas in furto excuset à peccato.

SVpposita distinctione necessitatis in extremam, grauem, & communem.

Non licet surripere alienum in quacumque necessitate

Dico primò, quod stante quacumque necessitate non semper licitum est rem alienam surripere. Ex prop. dam. ab Innoc. XI. n. 36.

Instante extrema necessitate licet de alienis siuè clã siuè palam sibi sumere necessaria cùm aliàs subueniri non possit.

Secundò, instante extrema necessitate; quæ non est sumenda in tanto rigore, vt intelligatur de eo, qui iam iam fame perit, vndè impossibile videtur esse remedium, sed debet intelligi de ea, qua quis appropinquatur incurabili infirmitati, aut alteri consimili miseriæ; tunc potest quis necessaria sibi prouidere ex rebus alienis siuè occultè, siuè manifestè acceptis, facta tamen priùs omni possibili diligentia, & quantum sufficit, vt hanc necessitatem euadat; & hoc absque vllo peccato furti; quia in eo casu omnia sunt communia. D. Tho. 2. 2. q. 66. art. 7. pag. 122.

Non solum sibi, sed alii taliter indigenti sic licet proui-

Et tunc non solum licet sic sibi providere illi, qui talem necessitatem patiatur; sed etiam alteri, vt ei provideat, cum non possit alio modo illi

dere, adeout impediens mortaliter peccaret.

subuenire. Immò qui hoc impediret peccaret mortaliter, &c.

Casus I.

Casus De eo, qui ad soluendum creditoribus, ne carceretur summam, quam debet valde diuiti mercatori furatur.

Caius habens grauem necessitatem, putà ad soluenda sua debita cred toribus, nè carceretur, furatur tot nummos ditissimo Mercatori, vt sic creditoribus satisfaciat, & periculum euadat.

Quæritur an peccet mortaliter?

Resp. affirmatiuè; quando tamen probabiliter non posset præsumi, quod Mercator æquo animo talem ablationem non sustineret, l. inter omnes, ff. de furto, §. rectè. Nec sufficit in hoc sola dubitatio, quæ potiùs esset temeraria præsumptio; ex d. §. rectè &c.

II.

Casus De eo, qui ut in matrimonio collocet filias iam iam in periculo ad se prostituendum, furatur quantũ satis est ad illas collocandas, non habens, unde hoc facere possit.

Curtius habens duas filias nubiles, & cognoscens eas in manifesto periculo se prostituendi, nisi eas in matrimonio collocet, nec habens, vndè hoc facere possit, furatur quantum ad hoc sibi sufficere potest.

Quæritur an peccet mortaliter.

Resp. affirmatiuè; hæc enim est solum grauis necessitas ex Dom. Bannes, qui subdit, quod tunc hoc posset esse licitum, si adesset animus, & spes probabi-

babilis restituendi, & amissio honoris aliter euitari non posset.

ARTICVLVS Vltimus.

De diuisione furti.

Diuisiones & species furti.

FVrtum, Primò diuiditur pęnes obiecta materialia in quatuor speties Prima dicitur Sacrilegium, si res, quæ aufertur sit sacra, vel de loco sacro &c. Secunda dicitur Peculatus, dum res est Reipub. &c. Tertia dicitur abigheatus, cum res est dispersa: & quarta dicitur Plagiatus, cum furatur seruus &c.

Secundò, ratione temporis, & diuiditur in diurnum, & nocturnum; de quo loquitur Deus in lege veteri. Exod.22.


Tertiò, ratione modi furandi diuiditur in furtum, & rapinam; primum fit absente domino, secundum verò eo præsente.

Quartò, ratione adiuncti diuiditur in manifestum, & occultum: priumm est quandò fur comprehenditur cum re furata: Secundum verò quandò non sic deprehenditur. pag. 124.

Res inuentæ sunt in duplici differentia; quædam enim sunt, quæ nun-

Exponitur doctrina quoad duplicem differentiam rei inuentæ.

quam fuerunt alicuius dominij, quædam verò, quæ aliquandò fuerunt alicuius. Inuenta primi generis sunt occupantis: inuenta verò secundi generis adhuc sunt in duplici differentia; nam aut fuerunt alicuius ab antiquo, aut de propinquo. Si fuerunt alicuius ab antiquo, aut sunt inuenta in proprijs agris, aut in alienis. Si in proprijs sunt inuentoris; si in alienis, sic diuidantur in ter inuenientem, & Dominum. Si autem sunt alicuius de propinquo, aut habentur pro derelictis, aut pro talibus non habentur. Si primum, & hoc reputat inuentor, sunt inuentoris. Si secundum, aut sumuntur ab inuentore animo retinendi, & sic furtum inducunt: si autem animo dandi Domino nullum est peccatum. Sunt hæc verba expressa Caiet. 2. 2. quæst. 66. art. 5. ad 2. Plura vid. in op. pag. 124.



QVÆ-

QVÆSTIO II.

De Rapina.

Correspondet art. 4. 8. & 9. q. 66. D. Tho. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

Vtrum furtum, & rapina differant spetie?

Resp. SIc: quia vnus importat violentiam, alter verò non, pag. 125.
D. Tho. 2. 2. q. 66. art. 4. ad lit.

Furtum, & rapina differunt specie.

ARTCVLVS II.

Vtrum rapina sit grauius peccatum furto?

Resp. SIc: habet enim grauitatem ortam ex triplici capite. Primò, ex ratione inuoluntarij: Secundò, ex iniuria illata domino: Et tertiò ex periculo personæ. pag. 125.
D. Tho. 2. 2. q. 66. art. 9. ad lit.

Est grauius peccatum furto.

ARTICVLVS III.

Vtrum rapina in aliquo casu sit licita?


In nullo casu licet rapina.

Resp. NOn: neque etiam sub pallio potestatis publicæ: Per quod tamen non aufertur à Principe vis coactiua in casibus à iure permissis, quæ tunc non est rapina, quamuis fiat per vim, & inuito domino; sed est executio iustitiæ. pag. 126.

D. Tho. 2.2. q.66. art.8.

Opus magn. videatur.

Cætera, & pulcherrima videas in opere.



QVÆ-

QVÆSTIO III.

De essentia Restitutionis.

Correspondet q. 62. D. Th. in 2.2.

ARTICVLVS I.

Quid sit Restitutio.

DEfinitur primò, largè; quod sit iterrato aliquem statuere in possessionem, vel dominium suæ rei.

Definitio restitutionis largè sumptæ.

Secundò, strictè; quod sit actus specialis Iustitiæ scilicet commutatiuę, quo redditur alteri, quod suum est, vel quod ei debetur lege veræ iustitiæ formaliter, vel virtualiter de bonis animi, corporis, honoris, vel pecuniæ.

Definitio eiusdē strictè sumptæ.

Prima est expresse D.Tho.2.2.q.62. art.1. in corp.

Secunda, ex eodem deducitur, pag. 129.


ARTICVLVS II.

Vtrum restitutio sit pars satisfactionis?

Restitutio non est pars satisfactionis.

Resp. NOn: in hoc tamen conueniunt, quod ambo sint partes commutatiuæ Iustitiæ. D.Tho. 4. sent. dist. 15. q. 1. art. 5. quæstiuncula 1. & 2.2. q.62. art.1. ad lit.

Differentias satisfactionis, & Restitutionis vid. in op. pag. 130.



QVÆSTIO IV.

De his, qui ad restitutionem tenentur.

Correspondet art.6. & 7. quæst.62. D.Tho. in 2.2.

Conditiones Restitutionis.

Quis, cui, quantum, vel vbi, quo tempore, quoque
Ordine, siue modo, te rogo mente notes.

ARTICVLVS I.

Vtrum qui habet rem alienam semper teneatur restituere?

Resp. SIc: vndè si possessor sit malæ fidei, dum retinet rem alienam tenetur eandem restituere; sin minùs, debet restituere tantum, quantò pluris valuit à tempore iniustæ acceptionis, quamuis sinè sua culpa perierit, cap. Mora, cum ibi adnot. de Reg. iur. in 6.

Habens alienum semper tenetur restituere.

Et hoc verum est absolutè loquendo de acceptione iniuriosa.

Si autem acceptio sit de voluntate domini; & hæc in vtilitatem accipientis, vt in mutuo; tunc mutuatarius tenetur restituere, etiamsi res perijt, quia in mutuo transfertur dominium.

Mutuatarius etiam re mutuata pereunte tenetur restituere.

Si denique non sit in vtilitatem accipientis, sed domini, vt in deposito, tunc tamdiù depositarius tenetur ad restitutionem, quamdiù rem habet; quod si res absque sua culpa, & negligentia depereat; putà si furto ei sit sublata cum fractura loci &c. ad nihil tenetur.

Depositarius rē Domini quamdiù habet, dũmodò sine culpa & negligētia sui non pereat restituere tenetur.

Si autem loquamur de possessore bonæ fidei, quamdiù bona fides durat, ad nihil tenetur; si autem bona fides cessat,

Possessor bonæ fidei hac

durante ad nihil tenetur, hac cessante restituere tenetur.

cessat, tunc tenetur restituere; & quidem ipsam rem si habet, sin autem id, in quo factus est locupletior; quod si in nihilo factus est locupletior, ad nihil tenetur, nisi res sua culpa perijsset. pag. 131.

D. Tho. 2. 2. quæst. 62. art. 6. Caiet. ibid. &c.

Casus.

Casus De eo, qui vendit rem à se bona fide emptam à Titio v.g. qui tractu temporis detegitur eandem furatum esse.

Titius emit à Sempronio bona fide equum. Posteà ipse Titius vendidit talem equum Curtio. Post aliquod tempus detegitur Sempronium furatum esse talem equum Cneio.

Quæritur quis teneatur equum Cneio restituere?

Resp. Curtium posse quidem dare equum Titio, & Titius Sempronio, vt suam pecuniam recuperent, & Sempronius equum restituat. Meliùs tamen faceret si equum Cneio Curtius restitueret, & posteà ageret Curtius contrà Titium de euictione, & Titius contrà Sempronium. Caiet. Medina, Soto lib. 4. q. 7. art. 2. &c.

Alios casus vide in op. num. 10. &c. pag. 131.

AR-

ARTICVLVS II.

An possit dari casus, in quo quis rem alienam non accipiens, nec apud se retinens adhùc teneatur restituere?

MVlti sunt casus ex D. Tho. 2. 2. q.62.art.7. in corp. Et his carminibus continentur.

Casus, in quibus quis alienum nec accipiens, nec retinens adhuc tenetur restituere.

Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Nomine iubentis intelligitur præcipiens efficaciter furtum, & hic tenetur ad restitutionem; quia habet rationem causæ principalis; quod etiam dicendum est de quolibet alio damno eius præcepto illato. pag. 132.
D. Tho. 2. 2. q. 62. art.7. in corp.

Casus.

Casus De seruo, qui putans rem gratam facere suo Domino inimicũ eiusdem interfecit.

Tindarus seruus Francisci sciens Antonium esse sui domini inimicum, & multas iniurias sæpè sæpiùs in eo euomisse, putans rem gratam facere domino suo occidit Antonium, ex cuius morte graue damnum sequitur familiæ eius.

Quæritur an ad aliquid teneatur Franciscus?

Resp. quod si Franciscus hoc audiens pro grato non habet, & signa displicentiæ ostendit, tunc nec peccat, nec ad aliquid tenetur. Si verò prò grato habeat, & signa complacentiæ, & gratitudinis in seruum ostendat, tunc peccat quidem mortaliter ex reg. Iur. in 6. c. ratihabitionem.

An posteà teneatur ad damnum, non est ità clarum; sed de hoc infrà agendo de Consensu. pag. 133.

Mandatarius si mandans non restituat, tenetur ipse ad satisfaciendum.

Mandatarius, seu seruus exequens mandatum peccat quidem mortaliter, & tenetnr ad satisfaciendum pro damno ex suppositione, quod mandans non restituat. pag. 134.

D. Tho. 2.2. q.62. art. 7. ad 2.

ARTICVLVS III.

Vtrum ille, qui consulit aliquod malum teneatur ad restitutionem prò damno?

Resp. SIc: si consilium sit efficax, & causa damni; si tamen consilium sit inefficax licet sic consulens peccet mortaliter, non tamen tenetur ad restitutionem. pag. 134.

Consulens efficaciter malum tenetur ad restitutionem.

D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 7. in corp.

Casus.

Cneius Principis consiliarius putans veram esse hanc Propositionem: omnia bona subditorum sunt Princip.s; consulit Principi, vt prædium Antonio subripiat absque vlla necessitate, & vt solum sibi delitiam procuret.

Casus De Cōsiliario, qui putans, verum esse, omnia bona subditorum esse Principis, huic consulit surripere alienū prædium ad solā delitiā.

Quæritur an Cneius teneatur ad restitutionem?

Resp. affirmatiuè, supposito, quod eius Consilium fuerit efficax, & executio sequuta. Nec excusatur ab ignorantia, quia hoc ex officio scire tenetur.

Sed

Casus De eodem ex post insinuate Principi, talem subreptionem esse malam.

Sed quid si consiliarius in se reuersus insinuet Principi hoc esse malum, antequam exequatur; aut quod restituat, executione sequuta?

Resp. quod si Princeps non remoueatur, aut non restituat, tunc Consiliarius restituere non tenetur; quia voluntas Principis ex Consilio ampliùs non mouetur sed ex se, vndè Principi imputandum est damnum non Consiliario.

Videantur multa alia in op. p. 135.

ARTICVLVS IV.

In quo resoluitur ad quid teneatur consentiens, laudans, & recipiens.

Cõsentiens in damnum alicuius in re graui tenetur ad restitutionem, si consensus in damnum habeat rationem causæ, secùs si sit purus cõsensus.

SI consensus habeat rationem causæ, & res sit grauis, tenetur consentiens ad reintegrationem damni. Si verò consensus sit purus consensus, tunc licet consentiens peccet mortaliter in malum consentiendo, non tamen tenetur ad restitutionem. p. 136.

D. Tho. 2.2. q. 62. art. 7. in corp.

Casus

Casus.

Sunt plures Consiliarij in vno Consilio, in quo proponitur aliquod iniustum inferens graue damnum proximo; putà bellum iniustum. Dantur vota secreta, quæ cum compleant numerum præscriptum à lege, re statuta indicitur bellum.

Casus De pluribus Consiliarijs, quorum plerique per vota secreta sunt causa, quòd belli iniustum indicatur.

Quæritur an omnes Consiliarij æquè teneantur ad restitutionem.

Resp. quod licet grauiter omnes peccent in malum consentientes, tamen illi solum tenentur ad restitutionem, qui primi fuerunt ad præstanda vota vsque quo sit completus numerus præscriptus à iure; quod tamen non est dicendum de subsequentibus ad talem numerum. Caiet. in sum. verb. rest. cap. 1. quem seq. Nauar. in Man. cap. 17. n. 34. Salon. &c. In praxi tamen hoc non potest verificari, quia nemo potest scire, quando numerus est completus.

Laudans, si non sit causa furti, licet grauiter peccet, non tamen tenetur ad restitutionem: benè tamen si furti sit causa. pag. 136.

Laudans, qui non est causa furti non tenetur ad restitutionem.

D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 7. in corp.

Casus.

Casus De eo, qui exprobrat Cneio v. g. adulterium suæ vxoris, vnde hæc à Cneio occiditur, & hinc grave damnum Cneio & eius familiæ insequitur.

Titius taliter exprobrat Cneio adulterium suæ vxoris, vt ea exprobratione concitatus ipsam occidit, vndè grave damnum incurrit Cneius, ac eius familia.

Quæritur an Titius teneatur de damno?

Resp. affirmatiuè; quia ipse est causa damni. Palud. & vterque Nauar. Martin. in Man. cap. 17. n. 132. & Petrus l. 3. de restit. cap. 4. p. 1. dub. 7.

Recipiens scienter res vel rem furatam tenetur ad restitutionem.

Receptator formaliter talis, qui scilicet hoc intuitu recipit in sua domo furem, vel rem ab eo sublatam, vt securiùs furetur, hic certè tenetur ad restitutionem. Si autem solum sit materialis receptor, putà recipiens rem absque eo, quod sciat esse furatam tunc nec peccat, nec ad aliquid tenetur. Si denique sciat rem esse alienam, & deponentem nolle eam restituere, licet peccet recipiendo, non tamen tenetur ad restitutionem; quia non est in causa. pag. 136.

Recipiens rē furatā, nesciens, esse talem, non tenetur restituere.

D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 7. in corp.

Casus.

Terentius dat commodum in sua domo filijs familias, vt ludant, & epulentur, licet sciat hoc eos facere ex rebus è domibus parentum sublatis; & hoc, vt aliquid lucretur.

Casus De eo, qui gratia lucri dat commodum in sua domo filijs-familias ad ludendũ & epulandum sciens, hæc illos facere ex rebus sublatis è domibus parentum.

Quæritur an peccet, & teneatur ad restitutionem?

Resp. vtique peccare, & graviter; non tamen tenentur ad restitutionem, quia furtum adhùc alias sequeretur, etiamsi eos non reciperet. Ghetius in Thes. anim. verb. Rest. c.2. q. 2.

ARTICVLVS II.

De Participantibus in furto.

OMnes quoquo modo participantes in furto; si sint causa, vel concausa iniustæ acceptionis tenentur ad restitutionem. pag. 137.

Participantes in furto tenentur ad restitutionẽ

D. Tho. 2.2. q.62. art. 7. in corp.

Ità & taliter, quod si omnes sint equaliter causa totius damni illati, tenentur ad restitutionem totius damni in solidum. D. Antoninus, Syluest.

Et quidem in solidum si omnes sint æqualiter causa totius damni.

Si autem vnus sit principalis, alter exequens, alter consulens &c. hoc or-

dine

Ordo, quem tenere debet in restitucdo Principalis, exequens, & cõsulens.

dine debet fieri restitutio; vt primò restituere teneatur præcipiens; præcipiente non restituente ad hoc tenetur exequens, exequente non restituente consulens; consulente non restituente receptans; receptatore non restituente non impediens &c. pag. 138.

D. Tho. 2. 2. q.62. art.7. ad 2.

ARTICVLVS
Vltimus.

De muto, non obstante, & non manifestante.

Qui tenetur, & potest clamare ad impediendũ damnũ, & non facit obligatur ad restitutionem secùs si non tenetur.

QVi potest, & tenetur clamare, vt damnum impediat, sicuti sunt illi, quibus ex officio incumbit; & non facit, restitutioni damni est obnoxius. Secùs tamen si non teneatur, licet possit; quia tunc solum peccat contrà charitatem, non tamen tenetur ad restitutionem, quia non peccat contrà iustitiam. pag.138.

D. Tho. 2. 2. q.62. art.7. in corp.

Casus

Casus I.

Caius accipit aliquid à fure, videns eum furari, vt taceat. Caio tamen ex officio non incumbit clamare.

Casus De eo, cui clamare nõ incumbit, & aliquid recipit à fure, quem videt actu furari, vt taceat.

Quæritur an teneatur restituere?

Resp. quod si illud, quod recipit sit pars furti; tunc certè tenetur restituere non furi, sed domino. Si verò sit de alia re, tunc licet mortaliter peccet non tamen tenetur ad restitutionem; quia non facit contrà iustitiam. Sotus, vterque Nauar &c.

II.

Cneius videns furem rem alienam surripere; & habens secum Curtium non solum ipse non clamat, sed vlteriùs impedit Curtium, ne clamet, cum vellet.

Casus De duobus videntibus furẽ furari & vno non solùm non clamante, sed alterum impediente ne clamet, alioquin clamare volentem.

Quæritur an teneatur ad restitutionem?

Resp. negatiuè; in suppositione tamen, quod neuter teneatur ad clamandum ex officio. pag. 138.

Pet. Nauar. Ghetius &c.

De non obstante, aut non manifestante pariter loquendum est, ac de muto. pag. 139.

D. Thō. 2.2. q.62. art. 7. in corp.

Sed circa eũ, qui non manifestat sit

Ca-

Casus I.

Casus De eo, qui cùm viderit furari, interrogatus à Iudice nõ vult dicere veritatem.

Sempronius cum viderit furem asportantem rem Titij, interrogatus legitimè à Iudice de hoc, non vult manifestare veritatem.

Quæritur an ipse teneatur de damno?

Resp. affirmatiuè: quia ei, vt testi incumbit ex officio veritatem manifestare. Com. omn. DD.

II.

Casus De eo, qui ex mercede custodiens vineas tempore edicti contrà furantes uvas de solvendo in penam duos aureos fisco, & videns uvas à furibus asportari tacet, cùm aliquid ab ipsis ad tacendum recipiat.

Tindarus stipendio conductus ad custodiendas vineas tempore, quo Iudex fecit edictum, quod omnes, qui è vineis furando asportant uvam luant pœnam duorum aureorum fisco applicandorum, vltrà restitutionem damni; videt multos uvam asportare, & tacet, eo, quod recipit munus à sic asportantibus.

Quæritur ad quid teneatur?

Resp. teneri ad restitutionem damni, ad pecunias soluendas fisco, & vlteriùs ad restitutionem muneris, non quidem danti, sed pauperibus; & hoc, quia illi incumbit ex officio. Si autem non sit stipendio conductus, sed illi sint applicandi nummi ex delinquentium accusatione re ipiendi, & non manifestat, tunc tenetur quidem

ad

ad damnum illatum domino; non verò ad cætera, quæ ſunt in eius libera poteſtate.

III.

Caſus De ſeruo vidente cõſeruum ſępius Domino furari, & ob pacem ſeruandam cũ aliis conſeruis non manifeſtante.

Gilibertus videt conſeruum ſuum ſæpè ſæpiùs furantem Domino, nec hoc Domino manifeſtat, vt cum alijs conſeruis pacem habeat.

Quæritur an teneatur ad reſtitutionem damni?

Reſp. affirmatiuè; eò quiu eſt verè cuſtos rerum domini ſui, vndè non ſolum mortaliter peccat, ſed vlteriùs tenetur de damno, c. qui cum fures &c. de furtis. Sylveſt. Sayrus &c.

IV.

Caſus De confeſſario, qui abſoluit furantes, eos minimè obligãs ex ignorantia craſſa ad reſtitutionem.


Thomas confeſſarius audiens confeſſiones plurium, qui multa furto ſurripuerunt, eos abſoluit, nec obligat ad reſtitutionem ex ignorantia craſſa; vndè ex eius lata culpa reſtitutio non ſequitur.

Quæritur an ad damnum teneatur?

Reſp. affirmatiuè: eò quia confeſſarius ad hoc tenetur ex officio, cum ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſalu-

ſalutem pœnitentis. Ex communi Axiomate ab Auguſtino deſumpto: Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Secùs tamen diſcurrendum eſſet, ſi hoc faciat ex inaduertentia, vel quia videt pœnitentem diſpoſitum ad hoc faciendum; Licet enim tunc peccet ex inaduertentia, & negligentia, niſi hoc præmittat; non tamen tenetur ad reſtitutionem damni, quia ipſe non eſt in cauſa.

Videatur de hoc Sairus lib. 10. tract. 2. cap. 14. num. 17. & alij ab ipſo citati. Sicut alia multa in op. pag. 140.



QVÆ-

QVÆSTIO V.

De eo, cui est facienda restitutio.

Correspondet a. 5. q. 62. D. Tho. 2. 2.

ARTICVLVS I.

Vtrum restitutio semper vero domino sit facienda?

Resp. SIc: dummodò tamen illa re hic, & nunc non vellet abuti, putà se interficiendo, vel alium damnificando; quia tunc restitutio deberet differri. pag. 141.

Restitutio facienda semper est Domino nolenti tamen abuti re restituenda.

D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 5. in corp.

Casus.

Terentius furatur vestem ab officina Sartoris, quæ est alterius.

Casus De furante v. g vestem ab Officina Sartoris.

Quæritur, cui restituere teneatur?

Resp. Sartori: quid idem dicendum est de depositario &c.

Sed quid si restitueret eam domino?

Resp. quod tunc teneretur Sarto-

rem admonere de restitutione facta, & procurare, quod dominus solueret prætium Sartori de opere. Quod si dominus hoc non faceret, tunc Terentius teneretur Sartori de damno. Caiet. Sotus, Pet. Nauar. &c.

ARTICVLVS II.

An ille, qui recipit aliquid illicitè teneatur restituere ei, qui illicitè dedit, vel pauperibus.

Cui sit restituendum ab illo, qui recepit aliquid illicitè.

Resp. CVm distinctione; nam aut datio est solum illicita ex parte recipientis, & tunc dans potest repetere; & ei facienda est restitutio: aut est illicita ex parte dantis, & tunc antè iudicis sententiam debet danti restituere, ex post verò debet restitui fisco.

Aut est illicita ex parte vtriusque, & tunc pariter restituenda est danti antè Iudicis sententiam, secùs verò post ipsam; etiamsi res, quæ emitur non sit prætio æstimabilis; vt in simonia. Aut denique est illicita solum ratione actionis iniuriosæ, & tunc nulli debet fieri restitutio, cum à iure permittatur retineri, vt prætium; quod verificatur de Meretrice &c. p. 142.

Vi-

Videatur D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 5. & Magiſter Soto lib. 4. de Iuſt. & Iur. quæſt. 7. art. 1.

At quia hoc videtur obſcurum, ideò claritatis gratia ſit

Caſus I.

Tutia vellet adulterium committere; hoc audiens Sempronius eius Patruus, ne hoc malum faciat tradit illi centum aureos.

Quæritur an Tutia teneatur eos reſtituere?

Reſp. affirmatiuè; quia datio eſt illicita ex parte Tutiæ.

Caſus De eo, cui aliquis ſummam pecuniæ tradit, vt à malo abſtineat, quod intendebat facere

II.

Curtius in neceſſitate poſitus recipit numos ad vſuram à Polibio ſemper ad vſuram dare parato.

Quæritur, cui debeat fieri reſtitutio?

Reſp. Polibio antè iudicis ſententiam; ex poſt verò fiſco.

Caſus De eo, qui in neceſſitate recipit numos ad vſuram, à parato ità ſemper dare.

III.

Casus De dante pecuniam alicui ad hoc ut hominem interficiat.

Cneius dat pecuniam Furio, vt hominem interficiat.

Quæritur cui restitutionem facere teneatur Furius?

Resp. Cneio antè Iudicis sententiam; ex post verò, fisco.

IV.

Casus De emente rem benedictam ad malum finem.

Virginius emit à Presbytero ceram benedictam ad malum finem.

Quæritur, cui Presbyter restituere teneatur?

Resp. Virginio antè Iudicis sententiam; ex post verò, fisco: meo tamen videri meliùs distribueretur pauperibus de Consilio Episcopi; quia tunc iura disponunt de dicta pecunia ad pias causas, can. qui habetis 14. q.5. & can. de hoc de Simonia,

V.

Casus De mutuante, cui mutuatarius spõtè respõdet quidam,

Petronius sumit in mutuum centum aureos à Tolomea, & ipse spontè soluit quolibet anno pro fructu quinque. Ex post Tolomea certior de hoc facta, quod malum sit; repetit 100. aureos, & vult

& vult fructum malè receptum restituere.

Quæritur cui huiusmodi fructus restituere debeat?

Resp. quod communiter dicitur debere restituere Petronio propter regulam communem; quod dans non debet expoliari re sua antè iudicis sententiam.

nuum pro fructu, quod depe- riens esse ma lũ mutuans repetit sortem, & vult fructus receptos restituere.

VI.

Berta Meretrix recipit à Polibio in prætium sui meretricij vnum aureum.

Quæritur an restituere teneatur?

Resp. negatiuè; cum lex illi hoc permittat.

Sed quid si blanditijs, & dolo multa vltrà prætium extorserit?

Resp. quod ista vtique tenetur Polibio restituere, vel de consensu Episcopi Pauperibus; quia vbi est fraus, & dolus res est malè acquisita.

Quid denique si mulier non sit publica meretrix; sed quæ aliquandò vni, vel alteri copiam sui facit?

Resp. quod quamuis prætium in iuditio petere non possit; potest tamen sibi data retinere, dummòdò non sit fraus &c. pag. 143.

Casus De meretrice, quæ in pretium sui meretricii aureum recipit.

Casus De eadem multa vltra prætiũ blãditijs & dolo extorquente.

ARTICVLVS III.

Cui sit facienda restitutio quandò vel dominus ignoratur, vel est mortuus, vel multum distat.

Res inuenta non inuento domino post diligentem inquisitionem in pauperes est distribuenda ad arbitrium Episcopi, præcipuè si res notabilis sit.

Resp. QVoad primum quod quandò prò re inuenta facta est diligens inquisitio, nec inuenitur dominus, tunc res est in pauperes distribuenda. D. Tho. 2.2. q. art. 5. ad 3. Et hoc de Consilio, & ad arbitrium Episcopi. D. Tho 4. sent. dist. 19. q. 1. art. 5. præcipuè si res sit magna; & Soto. Et tunc si inuentor est pauper, vel habeat parentes pauperes de consensu Episcopi poterit eam, vel partem eius sibi retinere, vel illis dare. p. 144.

Ita ex Soto lib. 4. q. 7. art. 1. ad 3.

De malè acquisitis puta per usuras &c. restituendũ est communitati distributuræ in pauperes, ignoratis tamen ijs in particulari qui fraudati sunt.

Loquendo verò de re malè acquisita, siuè per falsam stateram in Mercatore, siuè per vsuram &c. tunc sic fraudantes debent restituere communitati, vt ipsa in pauperes, & pios vsus distribuat; dummodò tamen ignorent personas in particulari, quas fraudauerunt, si enim scirent, tunc eis deberent restituere. pag. 144.

Si dominus sit mortuus, restitutio debet fieri hæredibus eius; quod si hære-

hæredes non inueniantur debet fieri pauperibus iuxtà supradicta.

Sed quid si re in pauperes dispensata, hæres compareat?

Resp. quod si dispensatio est facta publica auctoritate, iuxtà supradicta, tunc restitutor ad nihil tenetur; quod intelligas de re magni momenti: si enim res esset parua, & in pauperes dispensata ex propria auctoritate restituentis, tunc adhuc ad nihil tenetur. pag. 145.

Si denique dominus sit absens, & res per iniustam acceptionem detinetur, debet domino salua trasmitti faciendo omnes expensas, etiamsi valorem rei excederent. Secùs tamen si rem per iustam acceptionem haberet, putà per mutuum, depositum &c. tunc enim licet teneretur eam Domino restituere non tamen proprijs expensis trasmittere; dummodò tamen debitor non se absentauerit in fraudem; quia tunc videtur debere expensas subire. pag. 146.

Hæredibus, si Dominus obierit, aut si hi non inveniantur pauperibus facienda est restitutio.

Casus De hærede comparente facta iam dispensatione in pauperes.

Res iniustè accepta salua trãsmitti debet Domino absenti subeundo etiam omnes trãsmissionis expensas.

Casus.

Petrus est debitor Antonij pro vno Iulio. Vterque est in extrema necessitate.


Quæritur an tunc Petrus restituere teneatur?

Resp. negatiuè; eò quia tunc Iu-

Casus De duobus existentibus in extrema necessitate, quorũ unus debet alteri v. g. vnum Iulium.

lium illud non est Antonij, sed æqualiter amborum; cum in eo casu omnia sint communia, & ideò potest Petrus consulere sibi. Caiet. Sot. Tabien. &c.

Si autem illud, quod habet Petrus sit sufficiens ad ambos sustentandos diuidatur, vt sic ambo necessitatem euadant.



QVÆSTIO VI.

De qua re debeat fieri restitutio.

Correspondet art. 3. & 4. quæst. 62. D. Tho. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

An sufficiat semper restituere simplum rei alienæ.

Resp. SIc loquendo de iniusta acceptione, & antè iudicis sententiam. D. Tho. 2.2. q. 62. art.3.

Si autem iusta sit acceptio, & detineatur pecunia creditoris vltrà terminum

num præfixum, tenetur ad recompensandum aliquid vltrà pecuniam, non tamen ad tantum, quantum impedit lucri, quod posset ex hoc habere propter casus, qui possunt euenire; & hoc ad arbitrium prudentis viri. p.147. D. Tho. 2.2. q. 62. art. 4. ad 2.

Casus I.

Tindarus videns agrum, Sempronij de proximo seminatum omnia grana effodit, ac disperdit, agrum conculcando; vndè Sempronins ex eo nihil colligit.

Casus De eo, qui de agro alicuius recens seminato grana effodit, ac disperdit, vndè ex eodem nihil colligitur.

Quæritur an teneatur ad compensandum damnum, & in quantum?

Resp. quod licet Tindarus non teneatur ad restitutionem ex æquo faciendam, quia multis modis agri fructus possunt impediri. Tenetur tamen ad aliquam compensationem faciendam ad arbitrium boni viri.

D.Tho. 2.2. q.62. art. 4. ad 1.

II.

Curtius audiens Thomam debere adire Episcopum, vt beneficium curatum consequatur, priùs alloquitur ipse Episcopum adducens illi multa inconuenienta, quæ sequerentur, si Thomæ tale beneficium conferret; qua de re Thomas beneficio priuatur.

Casus De eo, qui talia deferens ad Episcopum de aliquo Sacerdote, est in causa, quod isti

amplius beneficium curatum non conferatur.

Quæritur an teneatur ad compensandum damnum.

Resp. quod si hoc fecit, quia Thomas indignus erat illo, & vera sint, quæ exposuit non ledentia bonam famam eius, sed solum eius insufficientiam exprimens, & hoc zelo iustitiæ, vt beneficium digniori conferatur; tunc nec peccat, neç ad aliquid tenetur.

Si autem hoc faciat animo ipsum lædendi, & præcipuè falsa veris permiscendo contrà bonam famam Thomæ, tunc vtique mortaliter peccat, & tenetur ad compensandum; non quidem in tantum, quantum valebat præbenda, quia Thomas eam nondum erat consequutus, sed pensatis conditionibus vtriusque ad arbitrium boni viri.

D. Tho. 2. 2. q.62. art. 2. ad 4.

ARTICVLVS II.

An qui parua furatus est restituere teneatur?

Qui furatus est parua facientia notabilẽ quantitatẽ tenetur sub mortali ad restitutionẽ.

Resp. SIc; dum peruenit ad notabilem quantitatem, etiamsi parua furta non fuerint mala intentione continuata; & hòc sub mortali. Ex prop. dam. ab Innoc. XI. n.38 p.148.

Et hoc etiamsi confessus sit de hoc ante-

antequam ad notabilem quantitatem peruenerit; quia confessio non absoluit eum à restitutione.

ARTICVLVS III.

An vsurarius restituere teneatur totum id, quod per vsuras extorsit?

Resp. SIc: & quidem loquendo de rebus, quorum vsus est ipsa consumptio, tantum, quantum valebant; loquendo verò de rebus permanentibus, & quæ fructificant, non solum debet eas restituere quoad substantiam, sed etiam quoad vsumfructum. pag. 148.

D. Tho. 2. 2. q. 78. art. 3.

Vsurarius debet restituere totum id, quod extorsit per vsuras, & sic quoad res, quæ vsu consumuntur valorem rei, quoad rem permanentes, & fructificantes, nedum eas, quoad substantiā, sed & quoad vsumfructum restituere.


ARTICVLVS IV.

Quid restituere teneatur ille qui alterum lesit in persona.

Resp. QVod cum in his non possimus reddere æquale, debemus compensare in pecunia &c. ad arbi-

Lędens aliū in persona debet restituere ad ar-

bitrili prudentis & boni viri. arbitrium prudentum : vt quantum possibilis est fiat restitutio. D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. Alia vid. in op. p. 149.



QVÆSTIO VII.

De cæteris conditionibus restitutionis.

Correspondet art. 8. D. Tho. q. 62. in 2. 2.

ARTICVLVS I.

An quisque statim teneatur rem alienam restituere.

Res aliena statim restituenda est nisi impotẽtia obstet, vel cõcessio dilationis excuset.

Resp. SIc: nisi per impotentiam, vel per concessionem dilationis impetratæ, excusetur. D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 8. ad lit.

Casus

Casus.

Caius vsurarius in vita sua numqaam restituit, quod per vsuram acquisiuit ex auaritia. Dum est proximus morti facit testamentum, & iniungit hæredibus, vt statim post suam mortem omnia restituant, quæ ex vsuris lucratus est.

Casus De vsurario, qui ex auaritia nũquam restituit, & in morte iniũgit hæredibus, vt eo mortuo omnia ex vsuris lucrata restituant.

Quæritur an sit absoluendus, & in loco sacro, sepeliendus?

Resp. negatiuè, quoad vtrumque supposito tamen quod vsurarius sit manifestus, & non adsit legitima causa, vel non dederit sufficientem cautionem.

De quo vid. op. pag. 151.

ARTICVLVS II.

Quo ordine sit facienda restitutio.

SI omnes æquè concurrunt ad damnum, omnes prò rata restituere tenentur. Et si vnus totum restituit alij compensare debent prò rata. D. Tho. 2.2. q.62. art.6. ad 3.

Explicatur, quo ordine facienda sit restitutio.

Si autem vnus concurrit principaliter, alij verò minùs principaliter, debet fieri restitutio de toto à principali; ipso

ipso non restituente debent alii restituere ordine suprà posito q. 4. art. 5.

Quod tamen intelligendum est si solum principalis rem accepit, vel de illis rebus, quæ non sunt in utilitatem accipientium, putà incendiantes &c. cæterum si damnum datum cedat in vtilitatem accipientium, tunc vnusquisque restituere tenetur secundum quod accepit, & hoc etiamsi ipsam rem consumpsit. pag. 152.

Casus.

***Casus** De Mercatore fracto, qui nequit statim pecunias ad negotium sibi datas restituere.*

Polibius Mercator habens à pluribus pecuniam ad negotium, frangit. Non potest statim omnes fundus pœcuniarum creditoribus restituere.

Quæritur an teneatur de fructibus conuentis prò illa pecunia etiam postquam fregit?

Resp. negatiuè: eo quia mercator fractus non potest ampliùs negotium exercere; & ideò si cogeretur ad restituendum fructum pœcuniæ receptæ ad Mercaturam postquam fregit, cogeretur ad dandam pensionem de fructibus rei, quos ipse non recipit; quod iniustum est: Sicut determinatur in aut. de non alien. aut permut. re. Ec. §. dudum, & §. quia verò &c.

AR-

ARTICVLVS III.

Quomodò sit facienda restitutio.

Regulariter non datur melior modus, & opportunior restituendæ rei ablatæ, quam restituere eam per Confessarium. D.Tho. 2.2. q.62. art.6. ad 2.

Aptior modus restituẽdi regulariter fit per Cõfessariũ.

Casus.

Tiberius accedens ad Confessarium aperit illi in confessione, quod abstulit à Sempronio annulum aureum, & quod vellet illum restituere. At si ipsum numero restituit certè innotescet Sempronio, annulum ei fuisse furatum à Tiberio, vndè vellet annulum vendere, & posteà pecuniam Confessori dare, vt eam Sempronio restituat.

Casus Deeo, qui in restitutione per Confessarium, ne ad vel innotescat illi, cui furatus est, rem vendit tradendo Confessario pecuniam, vt illam restituat.

Quæritur an hoc fieri possit?

Resp. affirmatiuè; quia restituendo annulum in specie amitteret famam, & honorem, quod est bonum meliùs. Restitutio autem non debet fieri cum iactura boni melioris. Caietanus &c.

Circà hoc alios Casus videas in op. pag.153.

QVÆ-

QVÆSTIO Vltima.

De restitutione famæ.

ARTICVLVS I.

De necessitate restitutionis famæ.

Auferens alteri famã peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionẽ.

Quis detegens crimen alterius in iudicio iuridicè interrogatus, nec peccat, nec tenetur ad restitutionẽ; immò aliter faciens, & grauiter pec-

QVi famam alteri abstulit siue falsum, siuè verum dicendo iniuitè, mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem.

D. Tho. 2. 2. q.62. art.2. ad 2.

Dixi iniustè; quia si quis interrogatus in iudito iuridicè detegit crimen alterius nec peccat, ne. ad restitutionem tenetur.

Immò si contrarium faceret peccaret mortaliter, & teneretur ad restitutionem famæ accusatoris. D. Tho. 2.2. q.69. art.1.

Excipitur tamen primò, quandò ex tali restitutione persona magis infamaretur.

Secun-

Secundò, quandò talis restitutio non potest fieri sinè periculo maioris mali, quam sit bonum famæ sequuturum.

Tertiò, quandò dicta non sunt de se infamatoria, vel possunt in vtramque partem interpretari.


Quartò, si non affirmatiuè, sed dubitanter dixit.

Quintò, si dixit, se audiuisse tantum.

Et sextò, si alia via iam publicatum est.

caret, & teneretur ad famam restituendam. Accusatoris, sex hisce exceptis casibus.

Vid. in op. pag. 154.



ARTICVLVS II.

Quomodò restitutio famæ sit facienda.

Regulæ docentes restituere famã quando dictum fuit falsum iniustè, & verum iniustè

QVandò aliquis abstulit famam alterius falsum dicendo, & iniustè, debet famam restituere dicendo se falsum dixisse; siuè in iudicio, siuè extrà. D. Tho. 2. 2. q.62. art. 2. ad 2.

Immò si adstantes hoc secundo suo dicto non crederent, debet eum iuramento firmare. Dom. Sotus lib. 4. de iust. & iur. q.6. art.3. ad 4.

Si autem quis abstulit famam verum dicendo, sed iniustè, scilicet, extrà iuditium, tunc debet restituere famam aliquo opportuniori modo iuxtà prudentis iudicium; putà commendando eum &c. numquam tamen potest dicere, se falsum dixisse; quia tunc mentiretur. D.Tho. 2.2. q. 62. art. 2. ad 2. pag.155.

Immò si non possit famam restituere verum dicendo, debet damnum compensare in pecunia &c.

Casus

Casus.

Epſcopus, vel Princeps audiens ſubditum ſuum velle ſeruitium alterius aſſumere, nè hoc conſequatur admonet eum, apud quem vellet ſeruitium ſibi aſſumere, de crimine ſubditi, propter quam notitiam à ſeruitio excluditur.

Casus De Principe, qui sciēs suum subditum velle assumere seruitium alterius, apud hunc reuelat crimen subditi, ad hoc vt excludatur à seruitio, vt & de facto excluditur

Quæritur an ad aliquid teneatur Epiſcopus, vel Princeps?

Reſp. teneri ad compenſandum per equivallens ad damnum illatum. Sotus. Pet. Nauar. Lopez, Salon. &c. prout in op. pag. 155.

Hoc autem dicendum eſt meo videri, ſi ſpontè tale criminen ei oppoſuiſſet; nam ſi forent requiſiti, & veritatem aperirent tunc ad nihil tenerentur.



TRA-

TRACTATVS
DECIMVSQVINTVS.

De cæteris Præceptis Decalogi.

DVo vltima præcepta, ſcilicet, de non concupiſcenda muliere, aut re aliena ſatis explicata manent ex his, quæ dicta ſunt in tract. de Luxuria, & de furto. Vndè ſolum reſtat ſeptimum.

De non ferendo falſo Teſtimonio; quod intelligitur de primariò in Iudicio; de ſecundariò verò prohibetur omnis inhordinata ſignificatio verborum, quæ fit mentiendo &c.

D. Tho. 2.2. q. 122. art. 5. ad 2.



QVÆ-

QVÆSTIO I.

De quidditate huius Præcepti.

HOc præceptum, vtpotè negatiuum obligat semper, & ad semper.

Præceptum de non ferēdo falso testimonio. Obligat sēper, & ad semper, cùm sit negatiuū.

ARTICVLVS I.

Quid nomine testis intelligatur in præsenti.

TEstis ille dicitur, qui ad ostendendam veritatem est necessarius.

Conditiones eius his versibus continentur.

Quid veniat nomine Testis. Eius conditiones necessariæ.

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides; in testibus ista requires.

De his videatur opus p. 156.

AR-

ARTICVLVS II.

An illi, qui testes esse possunt semper veritatem testificare teneantur.

Testis iuridicè interrogatus semper tenetur ad confitendam veritatem.

Resp. SIc, dummodò iuridicè interrogentur, hoc est à iudice competenti secundum ordinem iuris. D. Tho. 2.2. q.70. art.1.

Casus I.

Casus De Clerico, qui vocatur contra quẽdam ad Iudicem sæcularem asserentem sed habere ab Ordinario facultatem ipsum inquirendi, & de qua facultate Clericus dubitat.

Cneius clericus vocatus in iudicio sæculari contrà Curtium; cum iudex asserat, se habere auctoritatem à suo Superiori ipsum interrogandi; de quo tamen dubitat Cneius.

Quæritur an debeat iudici respondere pro veritate?

Resp. quod si nullum imineat periculum, aut bono publico, aut tertiæ personæ, tunc debet inclinare in fauorem iudicis, & ei parere; & eo magis si ex eius silentio graue damnum immineret reipublicæ, vel Religioni. Soto in relec. de secret. teg. memb.5. q.2.

II.

I I.

Antonius citatus coram iudice ad testificandum contrà Antimium ſcit, ſe eſſe teſtem ſingularem, & ſuam probationem non concludere.

Caſus De eo, qui coram Iudice citatus contra aliquem, ſcit, ſuam probationem non valere.

Quæritur an adhuc teneatur verum dicere?

Reſp. quod in hoc duplex eſt ſententia, vna affirmatiua, negatiua altera; & hęc videtur conformior menti D.Th.

Videatur opus p. 157.

III.

Polibius ſcit Petrum velle occidere Sempronium, nec aliam viam eſſe ad ipſum liberandum, niſi accuſare Petrum coram Iudice.

Caſus De eo, qui ſcit, aliter Semproniū v.g. defendi non poſſe, nè occidatur, niſi accuſet ad Iudicem inimicum Sempronii.

Quæritur an teneatur in conſcientia ſpontè adhoc ſe offerre?

Reſp. affirmatiuè: quod à fortiori dicendum erit ſi damnum immineret Religioni, Reipublicæ, vel Principi. D.Tho.2.2. q.70. art 1. in corp. & ad 2.

Aliquæ tamen debent adeſſe conditiones. Prima ſi teſtificans ſperat ſe profuturum. Secunda ſi proximus iniuſtè hoc patiatur. Tertia niſi teſtificanti aliquod graue damnum immineat.

Sed de hoc videatur opus. p. 158.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum dicere falsum testimonium semper sit peccatum mortale.

Explicatur, quandonam & quomodò falsum testimonium sit peccatum mortale.

Resp. QVod ex triplici capite falsum testimonium potest esse peccatum. Primò ex periurio: & tunc semper est peccatum mortale. Secundò, ex violatione Iustitiæ, & tunc ex suo genere pariter semper est peccatum mortale. Tertiò, ex ipsa falsitate, per quod sortitur rationem mendacii; & per hoc non semper est mortale. D. Tho. 2.2. q.70. art.4. p.158.

Et hoc verum est loquendo de re certa. Si autem res sit dubia tunc

Quis in iudicio asserens dubiũ pro certo peccat mortaliter præsertim debita diligentia non factas. Secus si fecerit diligẽtiam, & non recordans putat,

Dico, quod dubium nemo debet prò certo asserere in iuditio; sed dubium debet sub dubio proferre. Quod si primum faciat peccat mortaliter; præcipuè si debitam non adhibuit diligentiam ad se certificandum. Si autem debitam diligentiam adhibuit, & ex labilitate memoriæ putet se certò scire, quod tantum habet sub dubio, tunc non peccat mortaliter, etiam si prò certo asserat, quod dubium est; quia prout sic non est falsum testimonium absolutè, & per se, sed solum per accidens, & contrà intentionem profe-


proferentis. D. Tho. 2.2. q.70. art. 4. ad 1. Si autem ex post dignoscat non esse tale, tunc debet testimonium revocare, præcipuè antè iudicis sententiam, & quandò existimat hac sua revocatione prodesse posse. Navar. in Man. cap. 25. n. 40.

se certo scire, quod tātùm habet sub dubio. Quod si ex post recordetur, debet testimoniū reuocare, præsertim existimans se hoc modo posse prodesse.

Denique qui dicendo falsum testimonium damnum alteri dedit, non solum tenetur satisfacere prò damno in conscientia ex Armil. verb. testis 10. sed vlteriùs ad pœnam Talionis; ad hanc tamen non tenetur in conscientia, nisi post Iudicis sententiam.

Qui falsum est testatus, in conscientia non solū debet damnum quod intulit, compensare, sed etiam post Iudicis sententiam pœnam Talionis suibre.

Videatur opus. pag. 159.



QVÆSTIO II.

De æquiuocis in iuramento.

POnitur hæc propter prop. dam. ab Innoc. XI. n.25.26.27.

ARTICVLVS I.

Quid nomine æquiuocorum intelligamus in præsenti.

In quo cõsistat æquivocum.

ÆQuiuocum hic importat illud, quod diuersum sensum potest habere, ità ut ipsum proferens, unum possit habere in corde, & aliud in ore: vndè sic veritas occultetur. Huiusmodi est restrictio mentalis.

Restrictio mentalis duplici modo potest cõtingere.

Et hæc restrictio dupliciter fieri potest; Primò retinendo intrà se, quod corde concipitur; & hæc dicitur restrictio purè mentalis: Secundò, si aliquo exteriori signo hoc manifestetur, licèt ad ipsum non attendant audientes.

Deceptio verbalis in quo cõsistat.

Alia est deceptio merè verbalis, quæ fit verbis ambiguis, & multos sensus admittentibus. Et hæ sunt variæ; aliæ

aliæ enim ſunt, quæ licèt plures ſenſus admittant, tamen communiter in uno ſolùm ſumuntur. Aliæ, quæ nullam habent ſignificationem principalem. Aliæ denique ſunt non ſolùm æquiuocæ, ſed etiam enigmaticæ, & parabolicæ. *Eiuſdem tria genera.*

De his vid. op. pag. 160.

ARTICVLVS II.

An liceat vti reſtrictione Mentali?

Reſp. NOn: vndè qui ipſa vtitur non excuſatur à mendacio, ac proindè nec à periurio. D.Tho. 2. 2. q. 89. art. 4. ad 2. Cajet. Soto &c. & prop. dam. ab Innoc. XI. n. 26. *Reſtrictio purè mentalis non eſt licita.*

Hoc tamen verum eſt loquendo de reſtrictione purè mentali; ſi enim quis utatur illa, quæ purè mentalis non eſt, ſed ex aliqua exteriori circumſtantia poteſt cognoſci, hoc illi licebit. Ex Gonet in Man. tom. 5. tract. 8. cap. 2. §. 3. &c.

Casus.

Casus De Confessario, qui interrogatur à quodã de aliqua re, quam scit in Confessione.

Bernardus Confessarius sciens in Confessione uxorem Titij adulterium comisisse; interrogatus de hoc à Titio, asserit, se de hoc nihil scire.

Quæritur, an peccet?

Resp. negatiuè; quia de facto nescit, ut pandat Titio; cum hoc habeat sub sigillo Confessionis, quod prohibet illi hoc pandere.

Et nisi hæc locutio admittatur vix secretum Confessionis saluari potest. pag. 161.

ARTICVLVS III.

Num liceat vti verbis æquivocis, seu Anphibologicis in Iuramento?

Quomodo vti liceat verbis æquivocis in iuramento.

Resp. NOn: nisi tamen haberent significatum ità commune, quod ab omnibus intelligerentur, & prò hoc summerentur à iurante; vel nisi ei adiungeretur aliqua circumstantia, quæ illa clara faceret. Præter hæc non licet uti æquiuocis in iuramento.

D.Tho.

D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 1. & ex prop. dam. ab Innoc. XI. n. 25.

ARTICVLVS IV.

Vtrum huiusmodi locutionibus adhuc liceat vti in iuditio?

Resp. NOn: si iuramentum exigatur à Iudice competenti seruato ordine iuris. D. Tho. 2. 2. q. 69. art. 1. & ex prop. dam. ab Innoc. XI. n. 27. & 28.

Non licet vti æquiuocis in iuramento à Iudice competenti præstito.

Si autem iudex non sit competens, tunc illis æquiuocis vti licet, quæ habent significatum commune, vel adiunctam circumstantiam, ratione cuius intelligi possunt, in quo casu debet iuramentum impleri non ad mentem iudicis, sed ad mentem iurantis. Quod etiam dicendum est, si iudex hoc faciat non seruato ordine iuris; putà si interroget, non habita priùs semiplena probatione, reum de crimine occulto. In hoc tamen excipitur casus positus in prop. 28. dam. ab Innoc. XI. de quo videatur opus. p. 163.

Quid autē si Iudex non sit competēs?

Quid si non seruet ordinem iuris.

Meliùs tamen est si omnes æquiuocationes in iurando euitari possint; non intendens per hoc restringere, aut ampliare mentem Pontificis.

Melius est omnes æquiuocationes vitare in iuramento.

QVÆSTIO III.

De Mendatio.

Correspondet q. 110. D. Th. in 2.2.

ARTICVLVS I.

De quidditate, & essentia mendatij.

Definitio mendacij.

DEfinitur, quòd sit falsa vocis significatio cum intentione fallendi. D. Tho. 2.2. q. 110. art. 1. ad lit.

Quot modis fieri possit.

Potest fieri tripliciter: materialiter solum; quandò dicitur falsum, quod putatur verum, & absque animo fallendi: formaliter solum, quandò dicitur verum putatum falsum, cum animo fallendi: & materialiter, & formaliter simul; quandò dicitur falsum putatum falsum, & cum animo fallendi; & hoc verum est mendacium.

AR-

ARTICVLVS II.

De diuisione Mendatij.

PRimò, diuiditur secundum propriam rationem, & prout opponitur veritati in transcendens veritatem, & dicitur iactantia, & defficiens à veritate, quod pertinet ad Ironiam.

Variæ diuisiones mendacii.

Secundò, diuiditur ratione culpæ in perniciosum, officiosum, & iocosum.

Tertiò, denique ratione finis: Primò in illud, quod fit in doctrina religionis Christianæ. Secundò in illud, quod nulli prodest, & alicui obest. Tertiò, quod vni prodest, & alteri obest. Quartò, quod fit sola mentis libidine. Quintò, quod fit sola placendi cupiditate. Sextò, quod nulli nocet, & alicui prodest in ordine ad bona temporalia. Septimò, quod nulli nocet, & alicui prodest ad mortem vitandam: & octauò, quod nulli nocet, & alicui prodest ad vitandam immunditiam corporalem: & tria vltima ad mendatium officiosum reducuntur. pag. 165.

D. Tho. 2. 2. q. 110. art. 2. ad lit.

AR-

ARTICVLVS III.

An omne mendatium sit peccatum.

Omne mendacium est peccatum.

Resp. SIc; cum secundum se, & ex genere suo sit malum. pag. 165.

D. Tho. 2.2. q.110. art. 3. in corp.

Numquam licitum.

Ex quo patet, quod numquam licitum est mentiri.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omne mendatium sit peccatum mortale?

Quandonam mendacium sit peccatum mortale.

Resp. NOn: nisi vel secundum se, vel secundum finem intentum, vel repugnet charitati. D.Th. 2.2. q.110. art. 4. Vndè

Primò, peccant mortaliter omnes mentientes in rebus fidei, & morum.

Secundò, cum nocumento notabili siuè spirituali, siuè temporali proximi.

Tertiò ratione scandali, vel si adiungatur iuramento. pag. 166.

ARTICVLVS V.

De mendatio in Iuditio.

OMne mendatium in iuditio prolatum siuè in materia graui, siuè leui, est peccatum mortale; quia per hoc violatur iustitia. p. 167.
D. Tho. 2.2. q. 110. art. 4.
Atque hæc &c.

Absolutè quodcumq; mendacium in iudicio prolatū est mortale.



Errata	Correcta	in Tom. II.
adorationem	ad Orationem	pag. 34
ſimptici	ſimplici	pag. 36
peccati	peccato	pag. 57
ipſe	ipſo	pag. 69
pectare	peccare	pag. 126
Funambulia	Funabulis	pag. 138
ſi slt	ſi ſit	pag. 139
patiatur	patitur	pag. 147
priumm	primum	pag. 149
quiuu	quià	pag. 167
quid	quod	pag. 169
D. Th. 2. 2. q.	q. 62.	pag. 174
& Soto	ex Soto	pag. ibid.
conferutur	conferatur	pag. 178
Ne ad vel in-	*Ne adhuc innoteſcat*	pag. 181
factas	facta	pag. 192